ANECDOTA,

QUÆ

EX AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ

CODICIBUS

Nunc primum eruit

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS,

Serenifs. RAYNALDI I.

MUTINÆ &c. DUCIS

Bibliothecarius.

TOMUS QUARTUS.



PATAVII, Typis Seminarii, M.DCC.XIII.

Apud Joannem Manfrè.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

firmavit. Ejus corpus in præsenti in Aquilejensi Ecclesia requiescit.

Gerardus Patriarcha sedit annos IX. Qui bonis moribus, & bonis operibus plenus in dicta Civitate Austria feliciter migravit ad Christum, & optime rexit Ecclesiam suam antedictam.

Peregrinus Patriarcha primus sedit annos XXXI. Tempore istius fuit Henricus Secundus in Aquileja. Hujus etiam tempore Lotharius a Papa Innocentio Secundo coronatur, cui coronationi interfuit idem Peregrinus Patriarcha, & de Regalibus largitionibus ab ipso Henrico Imperatore investitus fuit.

Peregrinus Patriarcha II. sedit annos XX. menses VII. dies III. Hic cum Conrado II. Imperatore Cruce signatus ad prædicationem B. Leonardi Confessoris circa annos Domini MCXXXVIII. una cum Rege Franciæ mare transivit ad Infideles, & rediens cum eodem, vitæ suę in Aquileja diem in Domino clausit extremum.

Gotfredus Patriarcha sedit annos XXII. De Regali prosapia fuit. Ecclesiam, & totam suam provinciam mirabiliter auxit, ditavit, & honoravit. Hujus tempore Federicus Primus anno Domini MCLIII. per Papam Hadrianum IV. est coronatus Imperator, & hic Patriarcha huic coronationi interfuit.

Vodalricus Patriarcha sedit annos XX. menses VII. dies VII. Qui Legatus Apostolicę Sedis factus est, & Federicus Imperator primi consanguineus: Ab Hadriano IV. & Alexandro Tertio confirmationes privilegiorum suorum obtinuit. Huic etiam dictus Federicus omnia privilegia Imperialia, & Regalia confirmans, sibi etiam Marchiam Histrię, & Carniolę Ducatum, & Comitatum Fori Julii, & multa alia loca, & castra, & terram inter Plavim, & Liquentiam jacentem confirmavit. Dedit etiam Ecclesię Aquilejensi de Imperiali largitione Montem Silicis; qui est juxta Paduam per X. milliaria cum omnibus suis appendiciis. Et post reconciliationem factam inter Alexandrum Tertium, & ipsum Dominum Imperatorem ipse Alexander fecit dictum Voldaricum

 per

per totam Italíam Vicarium ſuum generalem. Hic duplici legatione, ſcilicet Papali, & Imperiali coronatus fuit. Jacet in Aquilejenſi Eccleſia, in cujus monumento infraſcripti verſus deſcripti, & ſculpti ſunt.

Alter Volricus jacet heic Patriarcha benignus.
Fluctibus illæſam ſchiſmatis Eccleſiam
Rexit, ditavit, Fratres hos ipſe beavit.
Cum juſtis maneat, gaudia multa habeat.

Peregrinus Tertius Patriarcha ſedit annos XIV. menſes VII. dies III. Iſte reædificavit Eccleſiam Civitatis Auſtriæ, quæ cum omnibus libris, & theſauris exuſta fuit, fecitque in ea tabulam argenteam, & alia mirabilia Clavodia auro argentoque contexta, & eam multis bonis ditavit. Sed pulchriorem fecit in Aquilejenſi Eccleſia, quæ pignorata longo tempore per incuriam Paſtoris fuit Venetiis, & quam Veneti hodie ſervant pro pretioſo theſauro. Iſte primus cœpit amicitiam, & pacta contrahere cum Venetis.

Volkerus Patriarcha Beatus ſedit annos XIII. menſes VII. Hic ab Henrico V. & Ottone IV. confirmationes privilegiorum Eccleſiæ ſuæ obtinuit, & coram eis, & coram Federico Secundo Marchionatum Hiſtriæ, quem Dux Bavariæ, Ludovicus nomine, tenebat, per Principum ſententias obtinuit. Et facta eidem reſignatione per dictum Dominum Ducem de hoc Marchionatu, per omnes tres Imperatores ſucceſſive præfatus Dominus Patriarcha inveſtitus eſt. Cui etiam Otto prædictus Montem Silicis donavit cum omnibus juribus ſuis. Hic multa ſanctitatis opera in vita ſua fecit, quæ Deus poſt ipſius mortem mirabiliter oſtendit uſque in hodiernum diem; nam ejus archa marmorea in Aquilejenſi Eccleſia in aere pendebat viſibiliter ſtans circumquaque per quatuor digitos ſuper terram. Et nunc ab uno angulo terram tangit modicum, aliis tribus angulis minime terram tangentibus. Tempore vero ruinationis Eccleſiæ prædictæ ab omnibus partibus manet ſuper terram uſque in hodiernum diem.

Bertoldus Patriarcha ſedit annos XXIII. menſes IV.

Iſte

Ille filius Ducis Moraviæ, patruus fuit B. Helisabet; quæ filia fuit Regis Ungariæ, cujus B. Helisabet mater fuit soror dicti Patriarchæ Bertoldi.. Hic Archiepiscopus Collocensis existens in Patriarcham assumtus est. Qui Federico Secundo adhærens usque ad ejus depositionem, multos honores, multaque privilegia, & gratias obtinuit ab eodem. Et multa bona una cum patre, & matre, Ecclesiæ contulerunt, & potissime in Carinthia, & Marchia Carniolæ. Cui prædictus Imperator etiam Montem Silicis inter alia tradidit. Hujus tempore Ezelinus de Romano tyrannidem exercebat. Et licet idem Bertoldus indignationem, eo quod adhærebat Federico Imperatori, Sedis Apostolicæ incurrisset, ad Romanam Curiam cum magna Baronum, & Nobilium comitiva accessit, & ibi magnalia multa ostendens, ab Innocentio IV. gloriose susceptus, gratiam, & benedictionem obtinuit. Et rediens de Curia Romana post aliquod tempus multa dimittens de proprio patrimonio Ecclesiis, in Aquileja felici pace quievit. Cujus corpus jacet in introitu Ecclesiæ memoratæ infra Ecclesiam. Et dicitur, quod quando primo Ecclesiam intravit, ubi nunc est monumentum ipsius, cespitavit fortiter, & statim ibi dixit: Hæc requies mea in seculum seculi, heic habitabo, quoniam elegi eam. Hic etiam Civitatem Austriæ ampliavit, & refecit. Necnon Ecclesiam B. Odorici ædificavit in Utino.

Gregorius de Monte longo sedit annos XIV. menses VIII. Hic factus Patriarcha per Innocentium IV. anno Domini MCCLIII. venit ad ipsam suam Ecclesiam. Hic, antequam esset assumtus ad Patriarchalem dignitatem, existens Notarius Papæ, missus fuit Legatus contra Federicum jam depositum de Imperio. Qui dum Parmam obsideret, Parmenses videntes auxilium sibi paratum, egrediuntur, & idem Gregorius una cum Parmensibus exercitum Federici aggressi sunt, & spoliis acceptis ipsum Federicum cum exercitu suo non sine magno damno, & opprobrio expulerunt. Hic gloriosus Antistes multa laudabilia opera operatus est; multas guer-

ras

ras pro libertate Ecclesiæ suæ cum Comitibus Goriciæ perpessus est, & tandem Ecclesiam suam, dum vixit, potenter protexit. Mortuus est in Civitate Austriæ, quam intime super aliis locis diligebat. Cujus corpus in pace quiescit juxta corpus B. Paulini Patriarchæ anno Domini MCCLXIX.

Eodemque anno electus fuit Philippus Dux Charintiæ, quem Dominus Gregorius Decanus voluit confirmare. Sed factus fuit generalis Capitaneus Ecclesiæ Aquilejensis. Et vacavit Sedes annos IV. Hujus tempore capta fuit Civitas Austriæ proditorie per Federicum de Pinzano Vicarium supradicti Philippi, faventibus sibi omnibus Castellanis, & nonnullis intrinsecis. Expulsi vero fuerunt fere omnes boni populares, & alii capti, alii gladio interemti, & omnia bona sua sibi abstulerunt. Eo autem tempore, & anno Rex Bohemiæ Vassallus Ecclesiæ Aquilejensis habens ab hac Feudum Spirituale, pro redemtione Civitatis Austriæ misit Vicarium suum cum magno exercitu, qui tandem Civitatem obsedit, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Intrinseci proditores ad pacta venientes, terram, & libertatem propriam, & pristinam, restituerunt cum honore.

Raimundus Patriarcha sedit annos XXV. menses II. dies VI. Hic existens Episcopus Cumanus, creatus est Patriarcha per Dominum Gregorium Papam X. anno Domini MCCLXXIII. Iste in adventu suo cum Alberto Comite Goriciæ pacem fecit; sed modicum duravit. Anno vero Domini MCCLXXVII. accessit ad Illustrem Dominum Rodulphum Regem Romanorum, & habito colloquio cum eodem ad primum est reversus. Et quia Veneti cœperunt occupare Terras Histriæ, incœpit graves facere guerras cum eisdem. Quæ quidem guerra incœpit MCCLXXIII. de mense Martii, & duravit fere annos XI. Hoc tempore Veneti obsederunt Tergestum, & fecerunt terram unam juxta Tergestum, quam Romagnam vocaverunt. Ipse autem Patriarcha cum exercitu suo valido, & potentissimo Venetos debellavit,

spo-

INDEX
OPUSCULORUM
TOMI QUARTI.

MAGISTRI MANEGALDI
Contra WOLFELMUM COLONIENSEM
Opusculum.

IN MANEGALDI *Opusculum*.

EX Codice MS. 305. lit. S. Ambrosianæ Bibliothecæ descriptum est hoc Opusculum. Ejus Auctor nomine tantum, ac Magistrali munere mihi notus; cetera ignotus, de illo nihil adferentibus celebrioribus Historiæ Literariæ Scriptoribus. Neque porro mihi aut satis otii ut exquiram, aut satis Librorum, ut inveniam aliquam de illo, & de Wolfelmo Coloniensi fortasse ampliorem notitiam. Quod memini me legere olim, in Clariss. Baluzii Miscellan. Tom. IV. memoratur *Manegaudus* quidam; qui vixisse & scripsisse nonnulla videtur circiter An. Ch. 1150. In Schædis quoque meis MSS. reperio brevem catalogum Librorum nondum editorum exhibitum olim eruditissimo Holstenio Bibliothecæ postea Vaticanæ Præfecto, ubi hæc habentur: *Menegaldus, vel Menengaldus Latinus Historicus: Historia Ecclesiastica. Qui plurima e Trogo Pompejo, & Justino quoad profana transcripsisse videtur. Initium Operis hoc est: Assyriorum Regum potentissimus olim fuit Ninus, qui bellum finitimis inferens Regibus* &c. Sequitur adnotatio. *Lucas Holstenius. Io credo che sia un Manigoldo. Auctor nullius judicii, nec pretii, quorum centuriæ reperiuntur passim in Bibliothecis Monasteriorum; qualis Petrus Comestor, Vincentius Belluacensis, aliique ejus farinæ consarcinatores, qui quum nullum suis Historiis initium reperire possent, ab exordio Mundi repetebant, ut mali Poetæ Trojanum*

 bellum

bellum gemino ordiuntur ab ovo. *Forte sub finem ad particolarem alicujus gentis Historiam*, *& ad sua tempora delabitur*, *quæ usui esse possent ad illorum temporum cognitionem*: *quod de proximo*, *& in præsenti desperandum*. At incertum mihi, an ista ad Manegaldum, sive Manegaudum nostrum aliqua ex parte pertineant.

Quo tamen tempore Scriptor hic floruerit, conjectura assequi non difficile possumus. Agit ille de celeberrimis Gregorii VII. Pontificis Maximi controversiis cum Henrico IV. Imperatore, atque ita agit, ut rem non antiquam, sed recentem, & lites ante paucos annos agitatas, non obscure innuat. Carpit enim Cap. 22. in Wolfelmo, ejusque sociis *contentiones*, *& dissensiones*, *quibus vos operarii carnis maxime totis his temporibus studuistis*. Tum Cap. sequ. apertius de his agit, Gregorii VII. causam defendens, atque inter cetera scribit: *Non defuerunt eo tempore viri magni*, *& Religiosi*, *quibus iniquitas tanta non placuit*; *bodieque supersunt in eodem Regno* (Theutonico) *quam plurimi*, *qui miserante Deo nondum Baal genua curvaverunt* &c. Infra subdit: *Pudori saltem vestro sufficere poterant discreti viri in circuitu vestro constituti* &c. *Schisma vestrum libera detestatione impugnantes*. Schismate igitur adhuc sejuncti erant ab Apostolica Sede Germani Henrico faventes, & adhuc *nulla fere Civitas*, ut ipse ait, *in tota Latinitate* erat, quæ non haberet divisum in varia studia populum, his pro Gregorii VII. jam vita functi memoria, illis vero pro Henrico IV., ut reor, vivente pugnantibus. Addit insuper Manegaudus: *Vos ad irritandum Altissimum*, *& augmentum profanationis*, *in Sacrificiis vestris pro Wiperto tamquam Patre & Ponti-*

fice

fice animarum vestrarum divinam clementiam imploratis. Quæ omnia ſuadere videntur, adhuc in vivis fuiſſe Guibertum Antipapam, quum hæc ſcriberet Manegaudus. Reliqua legantur, quæ idem Auctor habet Cap. Primo, & poſtremo, ac tamdem, ni fallor, ſtatuetur, compoſitum fuiſſe Opuſculum iſtud ante Annum Ch. Milleſimum & centeſimum primum (quo veriſimilius eſt e vivis exceſſiſſe Pſeudopapam Guibertum) aut ſaltem non longe ab iis temporibus. In eam itaque ſententiam feror, non alium fuiſſe Opuſculi hujus Scriptorem a Manegaldo, cujus mentionem forte oſtendi in Annalibus Ptolemæi Lucenſis pag. 952. Tom. 25. Biblioth. Patr. Ita vero ſcribit Hiſtoricus ille ad Annum Chriſti 1090. *Per idem* tempus floruit in Theutonia quidam Philoſophus, cui nomen Menegaldus, cujus uxor, & filiæ in Philoſophia fuerunt permaximæ.

Juvabit autem hinc diſcere Cap. 4. rationem, cur veteres Chriſtiani Antipodas negandos ſibi cenſerent. Nimirum qui eos ſtatuebant, Tellurem excogitarunt in quatuor habitabiles partes diviſam, quarum duæ ſaltem a reliquis præciſæ ita eſſent cauſa interpoſitæ Zonæ torridæ, ut nullum hominum inter eas commercium intercedere poſſet: Quare his poſitis excidebat certiſſimum, divinituſque traditum, Dogma de humani generis ex Adamo propagatione, & de annunciando Euangelio per totum terrarum Orbem. At Columbus, ac ceteri Americæ Indiarumque luſtratores primi, tum Ethnicorum Hypotheſim, tum Chriſtianorum metum hac de re omnem ſuſtulere. Deinde Cap. 23. diſcas, Hiſtoriam rerum geſtarum a Gregorio VII. Papa elucubratam fuiſſe per Saliſburgenſem Archiepiſcopum, quem Geb-

hardum, sive Gebehardum fuisse arbitror, in Baronianis Annalibus memoratum. An autem Historia hæc idem sit ac *Epistola S. Gebhardi Archiep. Salisburg. ad Hermannum Metensem*, quæ a Tengnagelio edita est Ingolstadii An. 1612. inter *Vetera Monumenta contra Schismaticos* &c. aliorum erit inquirere. Iterum habes Cap. 24. auctorem Epistolæ cujusdam dolosæ admodum & calumniosæ contra Gregorium VII. fuisse Wiricum Trevirensem Magistrum, qui Virdunensis Episcopi personam induit. Tu reliqua ad Theologiam, & Philosophiam spectantia perpende.

MAGI-

MAGISTRI MANEGALDI Contra WOLFELMUM COLONIENSEM

Opusculum.

QUum nuper in hortis Lutenbac conveniremus, & more Scholarium de Scripturis, quæ tunc inter manus erant, sermo mihi contra te oriretur, multa oratione decursa in hoc quasi quemdam nodum incidimus, & trahere cœpimus contentionis funem, ut tu pauca, quæ tibi displicerent, Philosophos, atque Macrobium de Somnio Scipionis, de quo tunc verbum erat, dixisse contenderes; ego e contra plurima Fidei, & saluti nostræ contraria in ipsis me invenisse assererem; ac eo usque cursus verborum prolapsus est, ut facile patere posset, aut te parum divinis literis eruditum, innata feritate & studio contradicendi, quæ nescires velle defendere, aut si ita sentires, ut dicebas, plane a rationibus sinceræ Fidei deviasse. Et quia contingere solet, quosdam strepitum verborum, & superficiem narrationis attendere, non expendere sensum mentemque scribentis, velut qui sine gustu, & odoratu radicem quidem rerum, sed vim saporis, & odoris sensu perdito non discernunt; quosdam vero per orationum sonum sensuum secreta rimari, & sicut frigida exterius seponunt a calidis, ita interius bona secer-

nunt a malis, quæ tanto validius reprobant, quanto in bonis fuerint delectati: ideo accessi propius, & per te ipsum cognovi morbum tuum, obtestans, utrum ita tibi in perceptione illarum sententiarum adquiesceres, ut eas credentibus non intelligeres esse damnosas: heic satis temerarie respondens subjecisti, nescire te quicquam in eis, quod multum tuus animus aspernaretur. Itaque multis a te conviciis lacessitus furibundum, minantemque reliqui. Propono ergo aliquid inde ad te scribere, ut in eorum libris, & sensibus, de quorum errore dissimulas, manifeste cognoscas hæreticam pravitatem contineri. Simul etiam arbitratus sum de Domno Papa Gregorio, quem polluto ore laceras, aliquid adnectendum, ut recogites, quia amplioris peccati caussa solet esse præcedens peccatum.

CAPI-

CAPITULATIO
Sequentium.

I. *QUod non omnes Philosophorum sententiæ abjiciendæ sint, sed illæ, in quibus decepti sunt, & decipiunt, & de Pythagoræ sententia de anima valde detestanda.*

II. *De Platone, & ejus involucris, quibus ostendit, ex quibus constet anima, & quod in distantia penetret corpus.*

III. *De diversis sententiis Philosophorum de Anima.*

IV. *Quod in mensurando Solem, & Lunam, & habitabilibus maculis decepti sint, & si quis inde Macrobio crediderit, in Fide facile periclitetur.*

V. *Quod secundum Apostolum talia probanda sunt, & ad sobrietatem Christianæ regulæ resecanda.*

VI. *De non sana eorum confessione, & de Casu Origenis, qui se nimis eorum dogmatibus affecit.*

VII. *De Sancto Spiritu, & ejus sana, & moderata doctrina, quod superbos deserat, & immundo Spiritui dissecandos permittat.*

VIII. *Quod Philosophi Patriarcharum benedictionibus privati nihil digne de Trinitatis Mysterio sentire meruerint.*

IX. *Quod a Spiritu Maligno talia orta sint, & divisionis auctor Idololatriam multis argumentis texuerit.*

X. *Quod ipsi sunt Ægyptii a nobis deprædandi; & quod nobis eloquiorum thesauros & ornatus paraverint.*

XI.

CAP.

CAP. I.

PRimum discretionem legentium volumus esse præmonitam, nos id nequaquam de Philosophis suscepisse, ut omnes eorum sententias damnabiles sentiamus, quarum quasdam pro sua subtilitate vix penetrare sufficimus, quasdam vero a sanctis viris susceptas non ignoramus. Verum temeritatem tuam velle compescere, qui sic eorum subtilitates commendas, ut multifarios errores figmentis illis implicitos non attendas. Neque enim in illis usque adeo primi parentis culpa dotem naturæ damnaverat, quin secundum humanas rationes quarumdam rerum communitates, & discrepantias diligenter satis commodeque distinguerent, quantum homo de se ipso præsumere poterat. Sed quia sine Spiritu illius erant, qui *docet omnem veritatem*, *cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, ac disponit cuncta suaviter*, necesse erat sicut homines, & ideo mendaces, eos interdum fines veritatis excedere, & semel suscepto patrocinio falsitatis per varia deceptionum argumenta raptari. Inde fuit, quod Pythagoras inter primos Duces hujus traditionis, quibusdam utiliter inventis & traditis, cum tamdem rationalis animalis scrutaretur arcanum, & eam naturam, quæ sine auctore naturæ male sciri potest, mortali ratione persequi, & comprehendere niteretur, exinanitum ejus ingenium ad tantam demum bestialitatem redactum est, ut humanam animam perpetua ratione donatam aliquando irrationabilem fieri mentiretur. Eo scilicet modo, quo a simplicitate sui dimota voluntate incorporandi ad hæc infima laberetur; quæ quidem si in primo corpore male viveret in præsenti seculo, vel aliquo seculorum futurorum, quorum infinitam seriem promittebat, corpus deterius sortiretur, & ita multiplicatis sceleribus ad hoc ultimum deveniret, ut qui ante fuerat homo, ad vivificandum quodlibet fœdissimum

cor-

corpus, horribili carcere truderetur. Ecce ad quem proventum sublimis Meditatio illa evaserit, qualemque necessitatem secundum stultitiam cordis sui illi creaturæ, quæ ad imaginem, & similitudinem Creatoris omnium condita est indicere non expavit. Dic quæso, si a sententia ista non diffides, quid honestæ spei concipere potes, quidve de illorum beatitudine expectas, qui in perfecta corporum, & animarum resurrectione duplicem stolam recepturi sunt, secundum ea quæ interim oculus videre non sufficit, nec auris audire, quæ videlicet in abundantia gratiæ & gloriæ suæ præparat Deus diligentibus se? Hoc enim sensu philosophico fit, ut tu, & ceteri complices tui in Regno Theutonico constituti, qui ab Apostolica Sede, & obedientia Sancti Papæ Gregorii dissensistis, & ob innumera flagitia damnationis sententiam excepistis, a præsenti corpore separati in futurum seculum corpus turpius subintretis, quod quum rursus ferina contagione pollueritis per infinitas species animandorum corporum præcipitati, ad ultimum in visceribus terræ, ac sordidis locis conclusi æterna salute in perpetuum careatis.

CAP. II.

Verum nec in tempore illo a succedentibus Philosophis, qui dignius de se ipsis senserunt, crudelitas * ista approbata est, sed per leviores insanias temperata, inter quos Plato acutius ceteris rerum primordia perscrutatus compositionem animæ quibusdam involucris prægravavit, & ex individua, & dividua essentia, natura eadem, & diversa, eam constare affirmans, sic cœlestia, & terrestria corpora per ipsam vivificari commentatus est, ut ille vigor perpetui ignis pro natura corporum a se vivificatorum propriæ virtutis dispendia pateretur. Quod Macrobius Ciceronem, Virgilium, & alios Latinos Philosophicæ disciplinæ sectatores sensisse testatur, sicut manifestius cognoscere poterit,

* *fort. credulitas.*

terit, qui tractatum ejus *de Somnio Scipionis* videre curabit. Hic itaque ficut per introductum difcipulum fuum Timeum commemorat, ut per quædam quafi deliramenta a numeris tracta confideratione eamdem animam quodlibet animatum corpus indiftanter penetrare & vivificare oftenderet, quum de Deo fabricante animam loqueretur, prædictarum effentiarum commixtionem fermentum appellans: *Primam*, inquit, *ex omni fermento partem tulit*, *hinc fumfit duplam partem prioris*, *tertiam vero hemioliam fecundæ*, & alia quædam, quæ pro nihilo ad memoriam reduceremus, quoniam ipfa fuæ obfcuritatis infolentia animum auditoris obtundunt. Si quis vero ea audire defiderat, ab eodem Platone, five a Macrobio, qui eafdem tenebras quodammodo elucidandas fufcepit, hæc animadvertere poterit; mirum tamen erit, fi non audita contemnat.

CAP. III.

HAbes ibidem coadunatos Pythagoram, Platonem, Xenocratem, Ariftotelem, Poffedonium, Hippocratem, Heraclitum, Zenonem, Democritum, alium Heraclitum, Crifolaum, Hypantum, Anaximenem, Empedoclem, Parmenidem, Xenophontem, Boetem, atque Epicurum, quorum plures diverfis errorum fpiritibus devii, & fenfu carnis fuæ inflati, tamquam per quædam abrupta difpertiti, contra fe diffonas, & controverfas fententias in animæ fuæ judicio ediderunt: Quorum Plato, quod ad verum fatis videtur accedere, animam definivit effentiam fe moventem, alius numerum fe moventem, alius Entelechiam, quod interpretantur corporis formam, alius harmoniam, alius ideam, alius exercitium quinque fenfuum, alius tenuem fpiritum, alius lucem, alius ftellaris effentiæ fcintillam, alius fpiritum concretum corpori, alius fpiritum infertum atomis, alius de quinta effentia, alius ignem, alius aerem, alius fanguinem, alius ex terra & igne, alius ex

terra

terra & aqua, alius ex aere, & igne & spiritu mixtam. In tam varia igitur divisione considera, si te unum omnibus sano sensu accommodare possis; ac si consentire potes animam tuam jure sanguinem nuncupari, dic rogo, quæ Cœlorum Regna expectes? Hoc enim modo tu constans, sanguis & caro, Regnum Dei possidere non potes.

CAP. IV.

QUod autem de Sphæra, & orbibus, & Cœlesti harmonia, de fallaci mensura Solis, & Lunæ, & orbis terræ, de quatuor habitabilibus maculis in circuitu terreni puncti secundum fidem tui Macrobii constitutis, & de Antipodis, seu Antoecis per eas incommeabiliter dispositis affirmatur, in quantum periculum talia dicantur, parum mihi attendisse videris. Suscepto enim semel, quatuor habitationes hominum esse, quorum ad se invicem nulla penitus possit esse per naturam commeandi licentia, dic age, quomodo verum erit, quod Sancta, & Apostolica rationabiliter confitetur Ecclesia, Salvatorem videlicet, per primos Patres ab ipsis, ut ita dicam, hujus Mundi cunabulis præsignatum, & a Patriarchis, & Prophetis consequenter multifarie, & multis evidentibus modis præfiguratum, tandem in plenitudine temporis, ineffabilibus humilitatis, & caritatis suæ operibus cognitum, ac clarificatum, in salutem totius humani generis advenisse, si tria hominum genera excepta sunt, quæ prædictus Macrobius præter hanc habitabilem, quam incolimus, secundum Zonarum Cœli, & terræ temperiem, posse esse persuadet, ad quæ tantæ salubritatis notitia pervenire non potuit? Ubi est, quod ille fidelis, quem invenit Dominus virum secundum cor suum, in spiritu veritatis clamat: *Ante conspectum gentium revelavit justitiam suam Deus*. Et ibidem: *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*, si aliqui fines terræ sunt ab hominibus inhabita-

ti,

ti, ad quos ſonus Prophetarum, & Apoſtolorum noſtrorum prohibente natura per inacceſſibiles aquarum, frigorum, calorumve diſtantias tranſire nequivit?

CAP. V.

EQuidem legi hæc tecum, & ut recordor frequenter dicere ſolebam, hæc ita debere accipi, ut Speræ tantum notitia haberetur, non ut veritate munita crederentur, quia ſecundum Apoſtoli præceptum omnia probanda ſunt, & puro mentis intuitu examinanda; quoniam ſicut in his, quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, ita quoque in intellectualibus, præſertim in ſcientiis, tam multæ & variæ ſpecies ſunt, ut niſi Spiritus pietatis adſit, cujus regula dirigamur, cor hominis pravum, & inſcrutabile, pronum ſit veriſimili ratione ſeduci; & niſi ſobrietate quadam intelligentia refrænetur, aliquando in altum elata ipſo tandem tumore in immenſum creſcente rumpetur, quandoque vero ſiniſtrorſum nimis ad ima devergens in tenebras fatuitatis ſubmergetur. Providebat hoc animus Apoſtoli Spiritus Sancti gratia illuſtratus, qui inter regulas Fidei, quas nobis imitandas præfixit, ſommopere admonuit: *non plus ſapere quam oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Proinde quum aliquid menti noſtræ occurrit, quod ipſa ſui ſublimitate, atque probabilitate delectat, habemus quadraturam Chriſtianæ doctrinæ, quam intellectis, & cognitis juxta ponere debemus, & ſi quid de meditationibus noſtris exceſſerit, ad normam illius feſtinato judicio reſecare. Ita & damnabilium errorum periculum devitari, & Philoſophorum peritia, quæ tamquam ſuperflua quædam immenſitas noſtris ſtudiis apta eſt, commode ſalubriterque poterit famulari. Ut autem indiſſimulabiliter pernoſcas, quam perniciosum ſit eorum imitari fidem, quorum ingenium admiramur, aſpice, quid prætendat in prima parte ſui Philoſophicæ confeſſionis aſſertio, quam ab eiſdem ſumtam Macrobius libro ſuo apponendam curavit his verbis.

CAP.

CAP. VI.

DEus, qui prima causa & est, & vocatur, unus omnium, quæ sunt, quæque videntur esse, princeps & origo est. Hic Deus superabundante majestatis fecunditate de se mentem creavit. Hæc mens, quæ νοῦς vocatur, qua patrem inspicit, plenam similitudinem servat actoris; anima vero de se ipsa creat posteriora respiciens. Rursus anima νοῦς patrem qua intuetur induitur, ac paulatim regrediente respectu in fabricam corporum in corporea ipsa degenerat. Nonne si horum verborum sensibus adquieveris, denuo suscitare videris multos errores, qui in primo statu Ecclesiæ vigili solertia Patrum convicti, & suffocati sunt? Inter quos Arius inæqualitatem personarum in simplicitate Divinitatis inducit. Manichæus autem partem Divinitatis degenerem Diabolum, eumdemque malarum creaturarum conditorem affirmat, quorum nefanda perversio quantas strages Fidei dederit, quantumque fructum malitiæ fecerit, nullus, qui Ecclesiasticas Historias legit, ignorat. Cujus Philosophicæ muscipulæ laqueum Origenes magnus vir in Ecclesia, & divinorum eloquiorum mirabilis tractator, tremendo Dei judicio evadere non meruit; sed quum post multos tractatus, quos utiliter, & excellenter ad honorem Sanctæ Ecclesiæ edidit, ad enodanda demum Cantica accessisset, asseruit, Patrem a Filio, Filiumque a S. Spiritu non videri. Quod B. Hieronymus in Epistolis suis significans, & tanti Doctoris casum graviter ingemiscens: *Origenes*, inquit, *quum in aliis ceteros vicisset, in Cantico Canticorum se vicit*. Cujus laudabile ingenium quamdiu caritate duce incaluit, & ab Apostolicæ Doctrinæ lumine non recessit, per directum gradiens, altitudinem spiritualem intellectus salubriter aliis ministravit; ubi vero profunditatem sapientiæ, & scientiæ Dei incomprehensibilem, & homini per se fatuo non potestate, sed dignatione capabilem, profanis

Græcorum dogmatibus, quibus se fortassis prius nimis affecerat, commiscere tentavit, sicut quando de Resurrectione tractans soliditatem, & veritatem resurgendorum corporum denegavit, miseranda humanæ fragilitatis sorte; vir egregius, & sublimis considerationis, quasi de altissima specula lapsus gravissime corruit, exemplumque posteris factus est, cum quanta reverentia, & timore, divini consilii celsitudo, & profunditas mysteriorum Dei attingenda sit, & ut quisque de se sciat, quia quanto velocior est animæ suæ motus, tanto paratior illi casus est, nisi cum cautela, & cœlesti præsidio moveatur. Quod Salvator discipulis indicat, quum ante potestates mundi, quarum timore, vel amore de Spiritu Sancto facile labi possent, præ testimonio Fidei sistendos præmunit. *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

CAP. VII.

HIc est ille Spiritus, qui Disciplinæ effugit fictum, quem corpus peccatis subditum non meretur, qui unde vult recedit, & sine difficultate loci, & temporis quocumque vult venit, & signaculum sui veniens secum adfert; quod enim suggerit, rectum, & pium est; quod emittit, robustum, & sanum; quod fructificat, suave & jocundum. In eo enim est gratia veritatis, per ipsum nobis est spes vitæ & virtutis. Quum habitaculum infantium ingreditur, disertos reddit, & quum frigenti, & tenebroso cordi supervenit, vitiorum sedem puritatis tribunal facit. In præsentia sua nihil fatuum, vel inutile esse potest, nihil diligit singulare, vel dissonum, nil immoderatum amat; ipse enim modus, & immensurabilis mensura est; omne donum ei sufficiens est, quia etsi desiderio meo parum videtur, quod mereor, in plenitudine tamen corporis Ecclesiæ, quam ipse Deus vivificat, totum possidens nullius egestatis detrimento con-

fundor. Hic itaque Spiritus quum mentem de se præsumentem cernit, quia amator humilitatis est, superbiæ locum contemnit, & quia ipse unus, & idem, sic gratiarum suarum dona multiplicat, ut tamen per distributionem illam unum simplex & verum insolubilis caritatis corpus efficiat, scissuras, & scandala detestans. Quo fit ut animam sectionibus vacantem Spiritus immundus invadat, eamque suis qualitatibus, & potentiis informatam miserabiliter distrahat, & per varios errores discerptam ad perditionis interitum perducat.

CAP. VIII.

HOc contigit his, de quibus loquimur, quos prior ætas Gentilium Philosophos appellavit, quorum patres a Patriarchatum Israelitici populi genere profluentes, hereditariis benedictionibus privati, vera Domini Dei nostri notitia caruerunt, eamdemque ignorantiæ jacturam filiis suis reliquerunt, donec semen benedictum venit, cui hereditatio gentium debebatur. Interim ergo naturali fame torqueri cœperunt, & sicut qui panem in caute, seu in silice aurum, vel Solem in Cavernis terræ quærunt, ita in inquirenda natura rerum, & cognoscenda universæ fabricæ Mundi subsistentia, & elementorum concordi discordia alii occupati, alii autem in causarum proventibus dignoscendis, quos indici sibi fatali necessitate per concursum Planetarum, & Siderum opinati sunt, his quasi deviis disparati, circa summum bonum frustra consumtis multis studiis erraverunt. Quod si inter eos extiterunt, quos purior liberiorque ratio stimularet aliquid esse insistendum, quod antiquius, & melius ipsa creatura foret, cujus potentia totius creationis universitas ambiretur, cujus providentia sub certis ponderibus, & numeris cunctorum existentium, contingenterque transeuntium series necteretur; tamen quum ad illud lumen inaccessibile, quod omne firmamentum, omnemque Cœlorum altitudinem excedit, perventum est,

ineffabilis Trinitatis venerandam, adorandamque simplicitatem, ejusdemque simplicis Majestatis trinum Mysterium sentire nullatenus meruerunt. Unde factum est, ut tria sibi principia ponerent, Artificem, Formas, & Materiam intelligibilem esse, mundum in mente divina collocantes, qui exemplum hujus sensilis secundum numerorum rationem cuncta, quæ sub sensibus casura erant, in se intelligibiliter contineret; in quibus principiis omnipotentiæ Dei derogabant, nihil ex nihilo fieri sancientes. Hæc sunt, in quibus addiscendis te multam operam consumsisse gloriaris, quæ tecum ipse legi, & lecta ex maxima sui parte reprobare curavi. Habebant enim difficultatis plurimum, utilitatis parum, salutis nihil. Quum tamen experiendi causa, quorsum evaderent insectarer, quasi per quosdam fumorum orbes immensis tractibus involutum, quo tandem vellent ponere admirabar, nisi quia suspicabar profecto, quod nequaquam veritatis exitum promittebant.

CAP. IX.

TAlia sunt nimirum illius semina, qui per superbiam Deo suo esse similis affectavit, qui quum Gentilium mentes semel sibi permissas invasit, sublimia promisit, eduxit in altum, paravit casum. Nec potuerunt ad cavendos ejus dolos, & mille nocendi artes, mortalium corda sufficere, quia interdum inducendo impietatem, pietatis spem gerit, laxat jura imperii, ut fautores sui in quamdam partem ad virtutem se erigant, in altera parte premit, ut familiari sibi fœditati subjaceant, & pro tempore suum inficit eorum bonum miserandoque nimis commercio de pretioso alieno vilitatem suæ confusionis circumtegit. Non locorum angustiæ, non longitudo temporis incentivorum ejus spiculis renituntur. In promtu sunt ei secreta naturæ, illam solam arcem subintrare veretur, cui præsidet ille Spiritus, qui diligit sanctitatem. Hic tam potens, & efficax,

ficax, quum proſtratam, & jacentem prædictæ generationis maſſam conſpiceret, cœpit in ruinas, quas fecerat, debacchari, & ſicut eſt diſciſſionis actor, animalem hominem in varia dogmata, & contrarias ſectas partitus eſt. Inde Socratici, Pythagorei, Platonici, & aliæ innumeræ profeſſiones diverſis tramitibus aberrarunt; & errores ſuos argutis inventionibus adjuverunt. Proficiente quoque, & invaleſcente Diaboli ſeminario, ſubſequuta eſt Poetarum turba, qui tamquam joculatores ad nuptias Idololatriæ concurrentes, figmentis, & immodeſtis laudibus animas vana ſectantium oblectati ſunt; cauſa enim quæſtus ad adulandum, & maledicendum parati ſceleratos Principes, & violentes prædones deificando, & inflatorum verborum tinnitu, & ſententiarum ornatu, nulla veri puritate munito, inutili memoriæ, & inani gloriæ ſerviendo, obſcœna, & turpia quibuſdam involucris adornarunt, & prout natura ſingulorum viguit, alii Comœdi, alii Lirici, Satyrici, Tragœdi effecti multis phantaſmatibus animas peccantium ſeduxerunt, ſimpliciores quoque, qui honorem ſuæ conditionis ſub profunda nocte ignorantiæ non intelligebant, comparabiles, imo deteriores jumentis uſque ad culturam lapidum, & turpitudinum curvaverunt.

CAP. X.

Isti ſunt Ægyptii, quos diſpenſatio Dei ſanctæ Eccleſiæ deprædandos expoſuit, quorum ſpoliis faciem templi Domini adornamus, & naturale donum, quod ipſi in ſuperbia, & abuſione ad damnationem ſuam detinuerunt, amatores humilitatis in uſus debitos retorſerunt, nihil de ſuis juribus præſumentes, nil adſcribentes ſibi, nec quærentes quæ ſua ſunt, ſed gloriam Regni æterni annunciantes, ſimpliciter prudentes, & prudenter ſimplices, armaturam perfidiæ in cultu Fidei tranſtulerunt, & ſcientiam inflatam, & mortuam ſpi-

ritu caritatis animaverunt. Hi sunt, de quibus ad nos dictum est: *Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*. Omnis sapientia quorum in altissimis quæstionum puteis devorata est, in quibus fons aquæ salientis in vitam æternam a perscrutantibus non inventus est, sed copiosæ verborum divitiæ, & eloquiorum thesauri nobis, quibus scientia salutis in remissione peccatorum per viscera misericordiæ Dei donata est, commodissime præparati. Itaque laqueos, & sensuum fraudes, quas velut aranea tabescentes, & interiora sua exhaurientes vane conturbati stultorum imitationi prætexebant, tamquam retiaculum Diaboli perrumpentes, cadaver Idololatriæ nudum reliquimus, & ornatum orationum, & quarumdam consuetudinum, quo vasa contumeliæ longo tempore morticinum suum celaverant, Salvatori, & Liberatori animarum nostrarum obtulimus.

CAP. XI.

Materia vero, circa quam supellectilem verborum expendimus, idem ille nobis est, de quo numquam satis potest esse, quod dicitur, Sapientia videlicet Dei Patris, consubstantialis, & coæterna illi cum Spiritu Sancto, unus Deus immortalis, invisibilis, cujus solius honori, & gloriæ cuncta cœlestia, terrestria, & infera, voluntaria, vel invita famulantur. Qui quum omnia, quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis circa miserabile genus humanum; misericordi prudentia reflexit justitiam voluntatis, & caritate temperavit fortitudinem potestatis. Non in aliqua parte sui aliquo modo degenerans, sicut insulsa Philosophorum confessio persuasit, numquam deficit; neque recipit aliquid essentialiter, quod ipse incipiat esse, & ante non fuerit; ubique totus, & nullas loci angustias sustinens; semper existens, sed conditor temporum, certus librator omnium numerorum, & ponde-

rum. De quo tunc recte sapit rationalis homo, quum pertinendam, & laudabilem nimis ipsius magnitudinem recognoscit. Cujus sapientia, & providentia infatigabiliter, & sine errore non solum elementorum distinctionem, sed ex elementis constantium rerum causales proventus serie admiranda connectit. Hic est Dominus noster, & non est alius ad ipsum, qui quum in se perfectus foret, nec alieni favoris, vel laudis indigentiam pateretur, secundum beneplacitum voluntatis suæ Cœlum, Terram, & universa, quæ Cœli ambitu continentur, Dominus universorum de nihilo condidit. Inter quæ nil æquale quidem sibi, sed simile, rationalem Angelum creavit, & hominem, ut & in cœlestibus invisibili Deo per innumera adsistentium Spirituum agmina æterna laus persolveretur, & in terris ab homine gratiarum nihilominus actiones pro facultate transitoria exhiberentur; & ipsa laudum exhibitio pro affectu expensa laudantium hoc tantum laudato Domino grata foret, quo ad consequendum æternitatis præmium laudantibus profuisset! Ab assiduitate cujus laudis prior ille destitit, qui cunctis sublimior factus erat; non enim cogente Conditore, sed ipso abundantia sui arbitrii abutente, & in superbia efferente, mentitus est sibi ipsi, immoderatam rapinam æqualitatis Dei arripere concupiscens. Unde quia altissimo Creatoris consilio inrecuperabiliter factus est casus ejus; cœpit universitatem creationis circuire quærens, quem ruinæ suæ adsciseeret. Prætermisit legiones Angelicas, de quarum stabilitate diffidebat; irrationabilem creaturam neglexit, cujus finem velocissimum sentiebat. In solum hominem, quem sive staret, sive laberetur, æternitati propagatum videbat, totius malignitatis suæ argumenta contorsit, totis nisibus in eo contendens imaginem abolere factoris, ut sui similis effectus irrevocabilis damnationis judicio mulctaretur. Persuasit itaque, & auditus est; pugnavit, & vicit. Et licet pius Dominus figmento suo præter libertatem arbitrii, qua non peccare poterat, cautelam contulisset mandati; sciens tamen deceptibilem limum aliunde consilium superbiendi acce-

pisse, ita circa deceptum miserum severitatis suæ sententiam temperavit, quatenus & ex præcepto suo mortalitatis necessitas solveretur, & tamen infra mortis debitum per meritum obedientiæ resurgendi acquireretur facultas, quæ interim animæ præstanda foret; finito vero præsentis vitæ spatio, corpori, & animæ pariter restituenda.

CAP. XII.

OBediendi itaque documenta primis patribus ante Legem præfixit, & ut res magnas compendio transigamus, per Melchisedech Sacrificium, per Abraham Circumcisionem, & immolationem, per Jacob tituli erectionem in figuram summi Sacerdotii, verique Sacrificii, quæ per Filium suum opportuno tempore Ecclesiæ exhibenda erant, præordinavit. Per Moysen quoque famulum suum præceptis, & legalibus institutis carnalem populum prægravavit, tantæ profunditatis mysteriis, ut in illis omnibus humanæ salutis, & adventus sui Sapientia Dei Patris multifariis modis Sacramenta signaret, & illius populi actiones veritatem in novissimis temporibus agendorum mystica denunciatione concluderent. Nec enim aliud insistit tota Tabernaculi, & Holocaustorum descriptio & Templi Domini cultus, nisi ut præsentis Ecclesiæ status, & futuræ figuretur. Porro quanta cura Deo fuerit, hominem exsuscitare ad sciendum, & intelligendum reparationis suæ Sacramentum, non servientis creaturæ secreta rimari nec animum sterili meditatione lassare, intueri licet etiam ex casibus virorum prioris populi, inter quos maxime David lapsum Sancti nostri altiori intuitu considerantes, magnum gratiæ revelandæ præconium continere arbitrati sunt, nec sine causa vel fidei, quæ in Patriarchis gloriose refulsit, commendatione factum esse intelligunt, quod post adulterii crimen, cui nulla ex Legis litera remissio debebatur, ad exemplum misericordiæ servatus est. A Domino

mino quippe, qui non impulsor, sed ordinator malorum est, salubriter provideri decebat, ut qui per fidei meritum de imo ad Regni sublimitatem pervenerat, per libidinis culpam de sublimi dejiceretur in imum, & electus Domini specialis vicinæ gratiæ prædicator experiretur in se ipso, quantum indigeret miserentis Dei auxilio miser homo. Qui enim de carne sua peccavit, fructum carnis, Absalonem scilicet, persequutorem sustinuit; & qui obediendo Deo gloriosus extiterat, superbientis carnis sequutus lasciviam eo usque ignominiosus factus est, ut servorum lapidibus impetitus, & lacessitus maledictis, regalem dignitatem fugitivus amitteret. Verum postquam in se reversus de gravi inferno, ad quem propinquaverat, humiliatus ad misericordiæ fontem, de quo sæpe prius potaverat, pudibundos oculos elevavit, & de profundo cordis clamavit ad multitudinem miserationum Dei, qui nullam sibi spem per Legem indultam sentiebat, tamquam signifer subsequentis Salvatoris effectus, haustum gratiæ peccantibus se propinaturum promittit: *Docebo*, inquiens, *vias tuas iniquos, & impii ad te convertentur*, ut ex eo ad vaticinium Domini veniens ardentior reus fieret, quo de legali severitate redemtus, nec infamis Regno, nec vita privaretur adulter. Imo tantæ dignitatis privilegio Rex humilis cumulatur, ut stupendo divinæ dignationis miraculo confitentis genus abundantia fidei justificatum, & gratia Spiritus Sancti, quem idem Propheta ad innovanda viscera, & cor suum sincero affectu poposcerat, emundatum, aptum fieret ministrare virginalem illam creaturam, quam virga Aaron contribulis ejus sine terreno fomento florens, & fructificans insolito miraculo designarat, & Esajas statim evidenti Oraculo præmonstraturus erat, Spiritu operante ineffabiliter concepturam totius propitiationis fontem, & totum serviret gratiæ, quod de semine pœnitentis actor indulgentiæ nasceretur. Hoc verbum bonum, hoc opus sanctum, hoc Canticum novum Cytharista, qui pœnam Legis evaserat, tämquam jam junctus futuro populo, & quasi ante

te thalamum perpetuæ Virginis ſaltans, ſpirituali jubilo præcinebat: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui*, & alia plurima, quæ magis indicare videntur plenum gaudium aſſequuti, quam deſiderantis affectum.

CAP. XIII.

NEc tempus remiſſionis tantum Sancti Prophetæ prænunciare contenti ſunt, ſed alternatim ad duos adventus Filii Dei fideles oculos retorquentes, indicant humilitatis unum, alterum ſublimitatis, primum manſuetudinis, ſecundum poteſtatis. Et quia humana ſuperbia contemtui habere ſolet, quod humile eſt, cum quanta reverentia præcedens ſuſcipi debeat, oſtendunt per magnificentiam conſequentis, ut abſque omni præjudicio, qui indulgentiæ tempus contemſerit, terribilem in die iræ ſententiam mereatur. Hoc evangelizans Eſaias, & Hieremias lamentans, prius vocationem Gentium, & compactos parietes in unum angularem lapidem ſignificant, & ſub deſtructione populi, & Hieroſolymitanæ Urbis, communis captivitatis ærumnas deplorantes, manentem Civitatem, in qua nos Dominum Majeſtatis cum carne noſtra jam ſedentem aſpicimus, inquirunt. Hæc eſt repromiſſionis terra, & regio vivorum; non illa, inquam frequenter cecidere multa millia, & in qua proſpiciebant filios, & nepotes ſuos, violentia Regum, fame, gladiis & aliis mortis generibus perituros, ſed illa, de qua inter alios prædictus David clara veritate admiratur dicens: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Et Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te*. Et ad quem animam ſuam converti hortatur, poſtquam Dominus benefecerit ei, quod tunc futurum intelligit, quum eripietur a morte, pedibus a lapſu, & oculis a lacrymis liberatis. Aſpiciebant, inquam, & in obtentu illius ſummis deſideriis ſuſpirabant. Verum cum vident deſertum Mundi ple-

num

num amaritudinibus, & convallem lacrymarum interjectam, in terra terrenæ repromissionis positi, validiorem, & meliorem Moysen assiduis gemitibus implorabant clamantes: *Veni Domine, & noli tardare: excita potentiam tuam Dominator Deus*. Nec ante venerabilis ordo illorum Patrum vociferari quievit, donec instante nativitate Jesu magni ducis perurgentibus gaudiis exultaret, & diceret: *Ecce advenit Dominator Deus, & Regnum in manu ejus, & potestas & imperium*. His & aliis talibus præparabant mentes carnalium ad suscipiendum Salvatoris humilem ortum veridici præcursores, certisque signis, & potentiæ suæ indiciis nasciturі in salutem omnium magnitudinem notaverunt, ne perfidus Judæus, & vanus Gentilis dissimularet agnoscere, quem tot sibi præsagiis cerneret indicatum. Quorum Prophetarum scripta si secundum interiorem degustare curaveris, experieris profecto, summæ dementiæ fore, ita insistere mundanæ scientiæ studium, ut non colatur, & ametur spiritalium salubris profunditas Scripturarum.

CAP. XIV.

ORdinatis igitur, & decursis omnibus, quæ ad insinuandum novi hominis ortum figuraliter oportebat præmitti, secundum prædestinationem ante omnia sæcula apud misericordis Dei consilium habitam, in plenitudine temporis *misit Deus Filium suum in terris factum ex muliere, factum sub Lege*, ut non solum eos, qui sub Lege erant, redimeret, sed quia neminem perire volebat, neminem a salvatione excluderet. Quum autem audis: *Misit Deus*, non intelligas majoritatem mittentis, nec missi mutationem, quia Divinitas non recipit vicissitudinem; sed accipe bonam Patris voluntatem, & piam Filii obedientiam, completam per consubstantialis Spiritus cooperationem. In hujus Incarnationis opere si de modo quæris, nescio quid commode dici possit, quam quod ex inquirente Virgine, & Archangelo respon-

ſpondente percipitur, videlicet quod ſuperveniente Spiritu, & obumbrante eam virtute Altiſſimi, cum virginea carne Divinitas uniretur, tanta efficientia ſanctitatis, ut Filius Dei, ante omnia tempora Deus de Deo genitus de Virgine ſub tempore naſceretur, credibiliter, non effabiliter factus caro, non confuſa ſubſtantia, ſed Dei, & hominis una perſona. Sic docet Vas Gratiæ, poſtquam ſquamæ perfidiæ ab ejus oculis ceciderunt, qui raptus ad tertium Cœlum ea etiam arcana audivit, quæ homini loqui non licet. Ut enim indicaret, ex naturali, & inſito Patris, & Filii ſimpliciſſimam unitatem, *formam Patris* Filium appellavit, ubi nihil rapinæ intervenit propter ejuſdem Majeſtatis æqualitatem. Nec propter *formam* verbum, quod tibi ſignificat apud homines, aliquid a formato diverſum facias; in ſubjecta ſectione extendit nos Prædicator veritatis, & per Verbum ſenſibilibus commodatum ad ſapiendum ineffabile Verbum mortalium intellectum traducit, ut fide capiantur, quæ verbo humano enarrari non poſſunt. Qui ut Incarnationis myſterium ad ſalutem credentium aperiret, conſequenter ſubjecit: *Exinanivit ſemetipſum*, & ut exinanitionis verbum circa immutabilem Deitatem non imminutionis Verbum, ſed ſignificativum dignationis adverteres, circumſpecte ſubdidit: *Formam ſervi accipiens*. Utraque igitur nativitas admirabilis eſt. In utraque humanæ inventionis argumenta deficiunt. Prima enim propter unitatem Trinitatis, Angelorum, & hominum ſupergreditur intellectum: ſecunda propter inſolitum naſcendi modum totius Philoſophicæ rationis evacuat firmamentum. Conſtanti namque conſequentia proponebant: ſi peperit, cum viro concubuit. Verum natus eſt puer fortis, Angelus conſilii, Philoſophus caſtitatis, & per venerandam de perpetua Virgine nativitatem prædictam propoſitionem caſſavit, quum de matre natus ſit, quæ Virum non cognovit, & ideo nulla ratione cum viro concubuit.

CAP.

CAP. XV.

QUo autem proventu novum iſtud ſuper terram factum ſit, redeamus ad Magiſtrum Gentium, qui hujus natalis effectum oſtendens: *Apparuit*, inquit, *gratia Salvatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei*. Itaque erudimur in novi hominis ortu, ut deſideria ſeculi, quæ ſalva pietate amari non poſſunt, abnegemus, & ſicut Patres Sancti prioris populi ſub deſiderio primi adventus anhelaverunt, ita nos, quibus jam veritas de terra orta eſt, ſub expectatione ſecundi gemamus, patienter beatam gloriam ſuſtinentes. Ante adventum gratiæ humanum genus ſoli vanitati, & ſuperbiæ vacans male ſecurum vivebat præter paucos Iſraelitas, quibus datum fuerat præſentire myſterium Regni Dei. Pro qua vero Rex humilitatis apparuit magna ſolicitudine manſuetudinem ejus ſequi, & caſtitatem amplecti jubemur, ut jugiter Cruci ejus affixi membra noſtra, quæ ſub veteri homine immunditiæ ſervierant, in ſanctificationem immobilia conſervemus, & omni ſuperbiæ humiliationis Dei ſignum tamquam vexillum victoriæ opponamus. Et licet huic ſigno ſtultitia Gentilium, & Judæi perfidia contradicat, quæ inæſtimabilis bonitatis Dei ignara idcirco tantum ingrata ſit, quia nimis propter ſe factus eſt humilis Deus; nos tamen, qui cum Apoſtolo audimus, quid ipſe loquatur in nobis, lignum vitæ ſuperbiæ opponimus, reſpondentes Judæo cum eo electo ex Judæis Paulo: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem Crucis*; Gentili vero de inani ſcientia glorianti: *Nihil judicamus nos ſcire inter vos, niſi Jeſum, & hunc Crucifixum, quoniam propter hoc exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine ip-*

ſius

sius omne genu flectatur; humilitatis enim finis exaltatio est, sicut superbientis casus.

CAP. XVI.

INclinato ergo Rege Judæorum, & Gentium, & modo convenienti Deo per Virginem edito, utrum ipse esset, qui ex Lege, & Prophetis prænunciatus fuerat, singularis operationis privilegio declaravit, & prius legalem Circumcisionem passus est, ut præcedentis Testamenti probaretur non destructor, sed actor, & homicida Judæus interficientem literam persequens per observatum exterius ad interiorem vitam salubriter traheretur. Quapropter scriptum sustinuit, ut exhiberet sententiam, complevit literam, largitus est Spiritum, removit figuram, aperuit veritatem, & sicut in Mediatore duæ naturæ convenerant, ita in liberandis hominibus, & de tenebris ad lucem rapiendis quemdam ordinem conservavit, dum Lex completur, ut ingeratur Gratia, restituuntur vitæ mortui, ut vivorum animæ suscitentur, ut utrinque validissima probatione constaret ex subjectione Legis verus, & justus homo, ex doctrina, & operatione omnipotens Sapientia Deus. Hanc animarum suscitationem trium mortuorum resurrectio distincta significat, quoniam quæcumque anima peccatorum morte damnatur, aut intus adhuc est cum Archisynagogi filia, ut tamquam e vicino morti tradita vitæ facile reducatur, aut conscientiæ bonæ portas egressa turbis circumstantibus mortua deportatur, aut diuturniori morte jam fœtida clausa sub indurationis lapide coarctatur. Sed accedente omnipotente medico manus puellæ tenetur, & surgit; adolescentis loculus tangitur, & vocatus mortuus reviviscit: præmissis compatientis lacrymis tumulatus clamatur, & prodit; nullaque est passio animæ penitus morientis, quæ medentis Salvatoris superat facultatem, quia ipse est, *qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit*

etiam

etiam de interitu vitam tuam. Ut enim velit, propitiator est; ut possit, dominus; qui potentia sua in suscitatis mortuis usus est, ut quod cernis in toto homine factum, in parte posse fieri non desperes, idcirco in paucis ut antequam tumuleris acceleres. Nec de indignitate, vel infirmitate sua metuat miser homo, quia nullus accedens indignus sanari videtur Deo, qui, ut omnes accessum habeant ad ipsum, dignatus est fieri pauper homo. Hæc est voluntas Patris, hæc est obedientia Filii, ut in assumta carne humilitatem veram, & spontaneam, cujus specialis doctor advenerat, edoceret, & superbum hominem ebrium vanis mundi, & inter corruptelas concupiscentiarum carnalium delirantem, ad se ipsum reduceret. Hoc egit nativitas de paupere, & humili Virgine, hoc angusti præsepis positio, hoc Circumcisionis, & oblationis legalis perfunctio, hoc susceptio Baptismi a Præcursore, & maligni Spiritus congressus, atque jejunii sanctificatio, & postremo electio discipulorum, quæ ita solo respectu humilitatis, & Caritatis facta est, ut omnis superbiendi occasio de discipulatu suo penitus amputaretur, quum illi præcipue electi sint, qui nequaquam possent de dignitatibus relictis, sive divitiis aliquando gloriari. In quo etiam magna eligentis providentia cautum est, ne consortio ejusdem gratiæ alios propter terrenorum pauperiem indignos arbitrarentur, in quibus de humana gloria nihil inventum est, unde eligi mererentur.

CAP. XVII.

ASsumitur præterea Simon Barjona, mansueti conventus Magister, qui prærogativa simplicitatis, & amoris in Christum in sublimem illam speculiationem erectus, non carne, & sanguine, sed Patre luminum revelante, puram de Salvatore confessionem, & universis Fidelibus tenendam, collegis hæsitantibus, festina responsione depromsit: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum venisti*. Propterea tam perspicacis

fidei

fidei soliditas ab ipso Dei Filio fundamentum Ecclesiæ facta est, super quod totius ædificii structura consurgeret, & ipse Petrus Divino testimonio Beatus Regni Cœlorum clavigeratum suscepit, tanta plenitudine potestatis, ut quod ligaverit, ligatum, & quod solverit, solutum sit in Cœlis pariter, & in Terris. Proinde quia revelationem illam in Petro Pater Deus per Spiritum Sanctum fecit, vis solutionis, & collata potestas, quæ ex merito confessionis descendit, secundum interiorem maxime expendenda est, quam experiri non potest, nisi qui fidei oculum adhibebit, quamquam ligationis pœna interdum in quibusdam, sicut in Anania, & Saphira, usque ad corporalem quoque damnationem proruperit. Quocirca si mundo corde credis, absolveris; si vero ore confiteris, salvaris, quia corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem, & hoc modo ædificatus super fundamentum Apostolicæ confessionis justificaris, & justificatus ex fide vivis. Hujus profecto justificantis Fidei prævius est Apostolorum Princeps, cui primatum Cœli, & Terræ inter coelectos fidei copia contulit, hac excellentia dignitatis, ut gratiam Domini obtinere omnino indignus sit, qui Clavigeri hujus obedientiam non custodit, nec Regnum Dei intrare permittitur, cui non præstat introitum clavis Petri; cujus enim peccatum retinet, retentum est, & cujus dimittit, dimissum. Hoc cœleste munus, & spiritualis potentia, quamvis largiente Redentore cunctis Apostolis data sit, specialius tamen in illo eminere videtur, qui & de amore an plus aliis Discipulis diligeret, sæpius prætentatus est, & peculiarius de solicitudine ovium pascendarum admonitus.

CAP. XVIII.

Electis autem Discipulis, & in Regnum filiis adoptatis, miraculorum quoque signis, quæ numquam posset facere tantum homo, & quæ operatricem Divinitatem

tatem inesse corporaliter Filio hominis indissimulabili veritate arguerent, abundanter exhibitis, quum instaret hora, in qua ex hoc Mundo transiret ad Patrem, susceptæ humilitatis, & caritatis propositum servans, ut coheredibus suis certam spem hereditatis relinqueret, novum in se ipso condidit Testamentum, secundum quod vetus homo in novam creaturam convertendus ablueretur per lavacrum regenerationis, postmodum de Christi corpore reficeretur, quod de Virgine sumtum erat. Hoc licet ante resurrectionem immortale tamen, & incorruptibile, potentia divina porrigitur, ut quum audis Dominum ad Cœlos corporaliter ascendisse, non ideo æstimes, fideles suos tanto munere defraudari; sed licet irrevocabiliter sedeat ad dexteram Patris, eadem tamen potentia illud idem etiamnum accipit in Altari fidelis, quod tunc dedit Discipulis, quum adhuc inter eos appareret mortalis. Sicut enim in Baptismo Christo consepeliris in mortem, & baptizantis manus tamquam quædam instrumenta exterius ministrant, medius autem stat, de quo dicitur: *Hic est, qui baptizat*, quem Fidelis videt, Infidelis ignorat, qui effectum operatur salutis; sic in mensa Christi ejusdem non figurativo, sed vero corpore reficeris, quantum fide capis visibiliter, quantum adest ille invisibilis Sacerdos propositæ creaturæ mutator, atque assumtor tanta efficacia sanctificationis, ut Sacerdote verba Domini, quæ viva, & sanctificatoria sunt, proferente, attendendum, & sumendum sit, teste B. Ambrosio, non quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit.

CAP. XIX.

QUo Sacramento cum Discipulis celebrato, & instituto post sermonem, mysteria caritatis, & unitatis capitis, & corporis inestimabili dulcedine continentem, sicut S. Johannis Euangelistæ narratio indicat, volens uti potestate, qua susceperat animam ad depo-

nendum eam, ut eamdem resumeret, infirma quidem carne, sed promto spiritu processit ad Crucem, ut fuso sanguine testatoris firmum fieret testamentum. De cujus sanguinis effusione, quid salutis contineat, quidve ab his, quorum redemtioni fusus est, mereatur, hoc sentiendum est, quod ad retribuendum omnis humanarum actio gratiarum inferior sit. Est tamen pia præsumtio Christiani, ut vitalem mortem pretium Redemtionis suæ continua memoria celebret, & intus applaudens Domino Deo suo tantum beneficium inconcussa fidei firmitate amplectatur, recolens pro se fuisse mortuum, quem surrexisse ex virtute Dei, & in Patris dextera consedentem omnis creatura rationalis adorat. Humilietur ante Crucem Domini sui, configens timore illius carnes suas, & si forte multitudine criminum gravatur, vel angustia temporis ad pendentem latronem elevet oculos. Sanguis enim ille semper lavat nos a peccatis nostris, qui nec in fundendo ab effectu salutis vacavit, dum sub ipsa damnationis pœna, & mortis articulo iniquitates longo tempore contractas absolvit, & cui præsens vita claudebatur ex scelere, aperta est per confessionis meritum requies æternitatis ex fide. Sanctificavit etiam tormentum suum Christus, & Crux, quæ ante fuerat ignominia damnatorum, eo faciente, apud quem blasphemantis conscientiæ horrendæ immunditiæ æstimantur; facta est terror immundorum spirituum, & gloria Salvatoris. Hanc quicumque Jesum sequi desiderat, se ipso abnegato, portabit, qua initiamur ad vitam, roboramur ad pugnam, & contra Mundi pericula superbiam calcaturi præferimus, ut in quo Magister oblatus est, discipulus muniatur. Hoc libationis suæ signum quum Dominus ad inferna suos liberaturus descenderet, effractis portis mortis, & tenebrarum principe debellato, cognoverunt vasa Fidei, antiqui scilicet Sancti, qui sedebant in tenebris, & umbra mortis, expectantes ut viam pacis interclusam sibi per mortificantem Adam, per vivificantem reciperent; quibus utique ad hereditatem percipiendam quantum ad

fidem

fidem nihil defuerat, quam quod nobis de præterito certum est, hoc illis spe certa de futuro constabat. Sed quos prius sub pædagogo positos servile jugum Legis gravaverat, conclusi sub peccato differebantur a Regno, donec Agnus ille verus levaretur in Cruce, cujus sanguine signatus Israeliticus populus liberaretur, sub quo Filio tamquam potentissimo cunctorum Rege, seniori, & juniori populo eadem resurgendi facultas, & gratia præstaretur. Quod in quibusdam de prioribus jam contigisse, Euangelii testimonio comprobatur, quando creaturis virtutem morientis Salvatoris indicantibus, *Sol obscuratus est, & petræ scissæ sunt, & apertis monimentis multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in Sanctam Civitatem Hierusalem, & apparuerunt multis.*

CAP. XX.

GLorificata itaque mortui contumelia per gloriam resurgentis, tunc demum compleri cœpit, quod adhuc passibilis dixerat: *Quum exaltatus fuero, omnia traham ad me;* quoniam non solum priores Patres, ut diximus, qui adventum primum desideraverant, de tenebris evocati sunt, verum etiam Gentes, quæ in lacu miseriæ, & profundo vitiorum jacebant, mox post adventum Spiritus lumen Fidei susceperunt, ut Apostolis nunciantibus virtutes ejus, qui in suscitato corpore suo evidentissime declaraverat, quid futura essent Fidelium corpora, firmiter sperarent de se ipsis, quod in eadem natura præcessisse constabat. Neque enim ob aliud Deus Verbum susceperat corpus, & animam nostram, nisi ut utrumque unumquodque in suo tempore suscitaret. Quocirca licet adhuc mortali homini dominetur primæ maledictionis sententia, qua mortis debitum solvit, tamen animæ humanæ resurrectionem, cui propter dignitatem sui velocius fuerat succurrendum, nulla cunctatione distulit misericordia Dei, sed clementissime, &

 ante

ante Legem, & sub Lege per fidem Jesu Christi, quæ vita est, electorum animas suscitavit, quibus vivificatis nihil damni pateretur, etsi solveretur caro credentium, quum apud prædestinationem ejus in fine seculorum procul dubio futura esset resurrectio mortuorum. Cujus resurrectionis veritatem usque adeo nobis certam Dei Filius præparavit, ut corpus incorruptibile Discipulis contra naturam incorruptibilium palpabile exhiberet, & gemino documento dubitantibus sese videndum, & non videndum præstabat, ut ex altero dubii munirentur ad fidem, ex altero desiderium festinandi ad illam vitam conciperent, in qua oculis mutatis in melius; jucundissima visione Dominici Corporis semper fruerentur, quod heic interdum immortalitate beatificatum mortalibus oculis videre non possent. In qua sui ostensione nec Sanctarum fœminarum tactum refugit, sed sive contingendo, seu convescendo more suo humilitatis Dominus usque in diem, qua assumtus est, familiarium suorum animos loquendo de Regno Dei ad inquirendam illam patriam incitabat, in qua illi masculus, & femina, mutato quidem vitio, sed naturæ veritate servata, occursuri erant in mensuram ætatis plenitudinis suæ. Cujus Regni heic habemus initium per ipsum, in quo factæ sunt primitiæ resurgentium, & tunc perficietur in nobis, quum cœperit esse corona Sanctorum. Unde quum rudes adhuc Discipuli ab eodem de Baptismo Spiritus audirent, & in virtute illius temporale Regnum Israel restaurandum putarent, & quærerent: *Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel? Non est vestrum*, inquit, *nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Non enim Creator temporis ad dimetiendas plagas Cœli, & Planetarum concursus sive motus siderum discernendos, seu ad mundanæ Philosophiæ studium, quod totum pęne circa peritura expenditur, amatores perennis vitæ vocabat, sed

Acci-

Accipietis, inquit, *supervenientem Spiritum ad testificandum nomen meum*. Tamquam pauperibus Spiritu, & mundi contemtoribus diceret: nolite inquirere Solis anfractus, vel evagationem Lunæ, quibus nimis mundi Philosophi studuerunt; sed ignari adhuc, quid vobis quærere, & amare utilissimum sit: *Expectate promissionem Patris, quam audistis per os meum, & sedete, donec induamini virtute ex alto. Quum enim venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis.*

CAP. XXI.

HAnc promissionem Christo ad Cœlos illis videntibus elevato, & ad Patris dexteram ultra omnem sublimitatem collocato, post completionem dierum Pentecostes accepere, facto repente de Cœlo sono tamquam Spiritus vehementis, apparentis illis in specie linguarum, & ignis. In quibus quid effecerit, non est pusillanimitatis nostræ disserere, sed adsit ipse & nobis, & doceat infantiam nostram, ut se digna sentire, & eloqui valeamus. Quis enim, nisi flumina de ventre ejus fluant aquæ vivæ, concipere sufficiat, qualiter adveniens Spiritus Sanctus eos baptizaverit, & purgata totius iniquitatis rubigine, repleverit omnium virtutum munere, ut repente fierent fortes ex timidis, ex fatuis prudentes, ferventes ex tepidis, ea abundantia pietatis, ut esset illis cor unum, & anima una, caritate Dei diffusa in cordibus eorum per divinitatem ejusdem Spiritus, qui copiose datus est eis? Tunc enim demum opere Dei confirmato in illis, vera libertate donati, voluntaria munera Fidelium cordium Christo Domino obtulerunt, & qui prius sicut servi timuerant, vivificante eos Spiritu, magnalibus Dei edocti in conspectu malignantis Concilii injunctum resurrectionis testimonium virtute invincibili reddiderunt. Tunc vere Cœli enarraverunt gloriam Dei, & firmamento Apostolico opus

Spiritus nunciante, vox majeſtatis deſertum concutientis intonuit in virtute, & magnificentia. Nec fuere diverſitates gentium, apud quas voces eorum non intelligerentur, ita ut divini ignis incendio ſcintillante in omnem terram ſonus eorum exiret, & Spiritu omnia continente, ac ideo orbem replente terrarum, multis etiam nationibus vocis ſcientia traderetur. Hic *dona ſua dividens, prout voluit, aliis genera linguarum contulit, aliis gratiam ſanitatum, quibuſdam diſcretionem ſpirituum*, omnibus in Salvatorem credentibus peccatorum remiſſionem, & quod his excellentius eſt, indeficientem Dei, & proximi dilectionem. Inflammavit linguas docentium, & auditorum duritiem emollivit. Complevit loquentium ora, & ad capiendum verbum vitæ corda prævenit diſcentium, ut eſſet magiſterium ſine mora, diſciplina ſine difficultate, doctrinæ ſalutaris verax, & jucunda perceptio. Tunc compleri cœpit illa effuſio, quam per Joel Dominus Deus ante prædixerat dicens: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*, & filiis Judæorum, Sanctis videlicet Apoſtolis, vitam futuram prophetantibus. Hinc Synagoga perdidit cruorem animalium, illinc gentilitas culturam Idolorum, quoniam Spiritus, qui per latibula Prophetarum ſignaverat adventum ſuum, emiſſus a Patre & Filio, diſcuſſo Legis velamento, proceſſit in publicum, ut nova creatione facta terræ faciem renovaret, & remotis Idololatrarum ſordibus diſparatos parietes in unam domum Domini coadunaret, & fieret *gens ſancta, populus adquiſitionis, electum genus, regale Sacerdotium*, omnibus vocatis in admirabile lumen Domini J. C. Hoc Paraclito ſuggerente omnia, & efficiente per Apoſtolicam manuum impoſitionem, ſacrorum Ordinum inſtitutum eſt Sacramentum, & venerandi Concilii pia collatio. Quam formam ſequentes Patres imitarentur, quatenus eodem Spiritu illuſtrati ſubrepentes Hæreſes devitarent, & pro temporum, atque locorum ratione ſancirent regulas moderamine manſueto. Hoc ipſo animati tam Apoſtoli, quam Apoſtolici viri conſtanter caducorum Re-

gum

gum superaverunt tormenta, & fide, verbis, moribus Deum in se glorificantes robustiori amoris æstu exustiones corporum contemserunt, in patientia sanctas animas possidentes, & usque ad hujus vitæ exitum, & coronam Martyrii, thesaurum Fidei in vasis fictilibus conservantes. Hujus inspiratio est, quod ubique sentit Catholica confessio Sacerdotum, & quicumque de incarnato Verbo, sive ad aliorum eruditionem, seu ad sui consolationem sano intellectu loquuti sunt, non aliunde quam ab illo hauserunt; nemo enim amat Dominum Jesum Christum, nisi in Spiritu Sancto, qui adveniens electorum cordibus, in amorem coæterni sibi verbi accendit, & postulare eos facit gemitibus inenarrabilibus, & cum Psalmista gemere: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, qui est, ut sciam, quid adhuc* citra mortis debitum commoranti *desit mihi*. Ad hunc manentium dierum numerum infinitum transilire quandoque nos facit Spiritus pietatis, & unctione sua, qua docet de omnibus, suggerit, ne totum nos comprehendisse arbitremur, sed præsentibus Sacramentis initiati, cum Apostolo in ea, quæ ventura sunt, extendamur ad bravium supernæ vocationis Dei, memores illius hereditatis, in qua de manu omnium inimicorum invisibilium, seu visibilium liberati, in sanctitate & justitia coram ipso corporaliter præsentati, omni tempore serviemus ei. Sicut enim priora significativa sunt præsentium, ita ista effectiva quidem salutis sunt, sed præsentatio futurorum; spe enim salvi facti sumus, & videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem visuri sumus, quum apparuerit Christus vita nostra, & cœperit apparere, quid erimus.

CAP. XXII.

Breviter longam seriem operum Dei attigimus, & subjecimus conspectui tuo Ecclesiæ status, ut exinde judicares, quam inconvenientes in plerisque, &

dissonæ sint cœlestis institutio, & humanorum versutiæ figmentorum. Quamvis enim in morali discretione præter ea, quæ ad Fidem sanctificantem cuncta pertinent, in pluribus Philosophicæ rationes a Catholico sensu non discrepent, sicut in descriptione virtutum, quas politicas, purgatorias, & purgatas appellant, & aliis multis, ex quibus Ecclesiastici rectores, & gubernatores divinæ Reipublicæ quædam sumsere; tamen quum ad corporum nostrorum disputationem ventum est, miserabiliter desipuerunt, statuentes sibi perniciosas sententias, quæ veniunt contra Resurrectionis mysterium, circa quod maxime divitiæ bonitatis, & humiliationis Dei versantur, quod nimirum nec natura duce comprehendere, nec inspirante Deo cognoscere meruerunt. Corpus namque ex elementis compactum arbitrantes, quod ipsius ponderosum erat opinabantur in terram inevitabili necessitate redire, ut spiritu ad stellam comparem redeunte, singula, ex quibus concretum corpus constiterat, in matrices essentias retexerentur; unde nihil aliud corpus, quam carcerem, & sepulcrum pœnitentis animæ æstimabant. Proinde quicumque illarum scripturarum sensibus, sicut veris, adquieverit, quæ reparationem corporum in æterna vita impossibilem esse contendunt, tamquam verius reputans, quod ab Ethnicis sancitum sit, omnia scilicet pondera suo nutu in terram ferri, iste absque dubio hostis est sui ipsius, & ingratus elementorum Auctori, qui omnia quæcumque voluit fecit, cui pro certo tam facile est unum in supremo locare, quam facile fuit in prima creatione compugnans Chaos elementaria distinctione stabilire. Et in hoc, ut opinor, mecum convenis, quod omnia, quæ vult, possit Deus. Sed fortassis inquies: licet cuncta faciat, quæcumque velit, nec aliud faciat, & aliud velit, sed ea etiam velit, quæ facit, quia voluntatem ejus nemo compellit, philosophanti tamen in dubio manet, utrum ipse voluerit, quod eum voluisse, & fecisse beata simplicitas Fidelium credit. Hic quæstionis nodus, sicut non credenti difficilis, ita facilis est credenti, &

quan-

quantum in homine eſt, ut exiſtimo, inſolubilis, niſi adſit clavis David, quæ claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit. Nobis autem hoc ſolutum eſt in fideli Abraham, in cujus ſemine etiam credens Philoſophus benedicitur, in columna nubis, & ignis tempore Moyſi, in diviſione maris rubri, & ceteris a nobis ſuperius comprehenſis, in quibus conſuetudo naturæ totiens victa eſt, ut jam ipſa de ſe natura parum confidere poſſit. Ad ultimum natus eſt homo Deus de perpetua Virgine, idemque homo ſepultus reſuſcitatus eſt in æternum cum vero corpore, qui prius in argumentum virtutis ſuæ fœtidum cadaver Lazari veraciter reſtituerat mortali vitæ. Mentitur ergo Philoſophus enuncians, omnem hominem eſſe animal rationale mortale; quia Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ac pro hoc quidam homo factus eſt animal immortale, qui ſalutare dogma imitatoribus ſuis confert, & in diſputando adjuvat, quatenus Diabolo, qui extinctor Fidei eſt, & membris ejus viriliter reſiſtentes, credant, & clament, velociter futurum eſſe, ut collata homini immortalitate, qua Deus differebat ab eo, removeat mortalitatem, qua homo miſer recedebat a Deo, & ſic per Chriſti ſapientiam, & gratiam ſub una definitione conveniant, quos mortalis Philoſophus per infatuatam prudentiam tranſitoria qualitate dividebat. Hoc non percipitur, poſtquam Spiritus ſubjectus eſt carni, quoniam quum caro adverſus ſpiritum concupiſcat, ſi ſpiritus abnegatis fructibus ſuis, qui ſunt ſecundum Apoſtolum Galatas cohortantem, caritas, gaudium, pax, fides, continentia, caſtitas, & alia talia, quę cogenti legi non ſubjacent, ſub dominio carnis tranſierit, & turpiſsimus ſervus laſcivientis dominæ preſſus imperio, ſenſualitatis jugum portare conſueverit, ſtatim longanimitate, qua manſura bona ſuſtinentur, abjecta, implicatur, & confunditur operibus carnis, quę ſunt fornicatio, immunditia, avaritia, quę eſt Idolorum ſervitus, ſub qua Idololatria comprehenditur inobedientiæ ſcelus, contentiones etiam, & diſſen-

sensiones, quibus vos operarii carnis maxime totis his temporibus studuistis, qualia qui agunt, Regnum Dei non consequuntur; sicque privatus gratia Dei, quæ est vita ęterna, militat stipendiis peccatorum, quæ sunt mortis perpetuę indeficientia tormenta. Sicut enim carnem Spiritus magisterio virtutum, & sanctorum exercitio morum ad capessendam immortalitatis stolam erudire, & promovere debebat, ita caro eumdem excecatum, & pręfocatum demergit secum ad recipienda præmia Inferorum. Hinc denique perit fides, quæ per dilectionem operatur, fortissimum argumentum futurorum bonorum, & succedit perfidia desperationis creatrix, extinctisque oculis rationis, quibus verum honestum, & purum utile discerni solet, vivitur in servitute sensuum, ut appetatur quicquid inhonestum, & turpe est, quicquid damnosum ametur, & homo in honorem Dei conditus jumentis insipientibus similis redigitur in dedecus bestiale. Sine differentia namque de vitio itur in vitium, ubi etiam peccati causa fit præcedens peccatum, & assidua peccandi delectatio reprobum sensum in profundum pertrahit peccatorum, ut jam nulla videatur sibi posse fieri remissio delictorum. Tunc quod omni victima potius est, obedientiæ bonum contemnitur, ubi nimirum defuncto timore Dei, soli dominanti libidini obeditur.

CAP. XXIII.

Confusionis tantæ baratrum, nisi major Dei misericordia perditioni vestræ subvenire dignabitur, vobis, & sibi præparasse videntur, non qualescumque personæ, sed quos Archiepiscopos, & Episcopos appellatis, quorum furor in tantum abundante iniquitate desipuit, ut non dubitarent contemnere salubres admonitiones, & Canonica decreta Sancti viri, videlicet Gregorii VII. Romanæ Sedis Episcopi, & abrumpere se a visceribus Apostolicæ Ecclesiæ universorum matris.

Quum

Quum enim ab eodem Gregorio pro suis criminibus Canonicis rationibus urgerentur, & vel damnati, vel metuentes damnari nullum sub prudenti, & instanter agenti viro, impietati suæ evadendi aditum cernerent derelinqui, involverunt eadem damnatione Regem suum Henricum, quem sicut actorem Hæresis suæ habuerant, ita & defensorem haberent. Crevit rabies Regni Theutonici in immensum, & ultra modum peccantes, imitatores Judaicæ perfidiæ facti estis, dum objicientibus vobis his, qui de parte Catholicorum stabant, non sic agendum esse contra Magistrum totius Ecclesiæ, summæ Sedis Episcopum, posthabita totius divini cultus reverentia, sæpe clamare non erubuistis: non habemus Pontificem, nisi Cæsarem. Ut tamen corpus Sathanæ suam integritatem obtineret, petiistis virum homicidam donari vobis, Wipertum scilicet exarchiepiscopum Ravennatem, quem pro certis, & publicatis sceleribus prius in plenaria Synodo, eodem Gregorio Pontifice præsidente, Romana Ecclesia condemnaverat. Discipulum vero Jesu, qui in hoc se totum impendebat, ut Sancta Ecclesia ad debitum honorem, & necessariæ libertatis statum repararetur, quantum in vobis fuit, expellendum, & crucifigendum votis & actionibus nefariis postulastis. Verum quia novit Dominus, qui sunt ejus, & in omni gente elegit viros acceptabiles sibi, qui eum timeant, & operentur justitiam, non defuerunt eo tempore viri magni, & religiosi, quibus iniquitas tanta non placuit; hodieque supersunt in eodem regno quam plurimi, qui miserante Deo nondum Baal genua curvaverunt, qui præclaras dignitates pretiosiores quam salutem suam facere neglexerunt, sed cuncta quasi stercora reputantes, ut Christum lucrifacerent, ad Apostolorum Principem, & Successorem ejus Gregorium se pro defensione Fidei contulerunt. Contra quem quam impie etiam secundum leges seculi actum sit * totius quoque gestionem negotii, in quo decennio, & eo magis in Vita Sancti Papæ non sine gravi quassatione Sanctæ Ecclesiæ laboratum est, ex Historia, quæ viri in illas partes illustris, &

appri-

apprime in eadem re pro justitia fatigati, Salsburgensis Archiepiscopi esse dicitur, manifestius cognoscetur. Ex quo magis mirandum est super imprudentia tua, & aliorum, qui in causa Ecclesiæ contra rationes Fidei tam frequentes, & inanes verborum pugnas facitis, nescientes penitus, quid loquamini, vel de quibus affirmetis. Si enim Scripturæ sacræ, quas duritia vestra intelligere non meretur, minus satisfaciunt vobis, & Salvatoris verba testantia non esse discipulum supra Magistrum: Spiritus Sancti quoque auctoritas, qua statutum est, summum Pontificem a nemine judicandum, & præterea concordia decretorum, quæ non solum impiis manibus vestris judicii gladium, quo Patriarcham Christianitatis jugulare intenditis, extorserunt, sed cervicositatem vestram jugo obedientiæ ipsius modis omnibus subdiderunt: Pudori saltem vestro sufficere poterant discreti viri in circuitu vestro constituti, eruditi in lege Domini, legales quoque Principes Deum honorantes, postremo Monachi, Heremitæ, omnium propositorum Religiosi, Schisma vestrum libera detestatione impugnantes. Quod enim Canones Canonibus objicitis, vecordis imperitiæ est, præsertim ubi res nulla ambiguitate implicita est, quo minus, ubi volueritis, vero judicio demonstretur; uti autem velle viribus, ubi judicia manifesta sunt, violentorum est, & de justitia desperantium. Ita namque usque in hodiernum diem duæ Civitates, quarum una est Christi, altera Diaboli, a principio negotii hujus in suis Civibus distinctæ manserunt, ut nulla fere Civitas in tota latinitate sit, quæ non habeat hujus causæ oppositos defensores, quorum alii cum sanguinario Chain in spicis coram Deo offerunt aristas exacerbationis, alteri cum Abel justo in simplici agno innocentiam veritatis. Unde est etiam, quod vos ad irritandum Altissimum, & augmentum profanationis in Sacrificiis vestris pro Wiperto tamquam patre, & Pontifice animarum vestrarum divinam clementiam imploratis. Nos eumdem hominem Hæreticum, qui vivente patre, & Domino nostro per cruentam manum facinorosi, & ex-

com-

communicati Regis ad obligandas obligationes in peccatis, sacratissimam Sedem Apostolorum usurpare, & polluere conatus sit, damnatissimum execramur. In quo nihil medium est: aut vos, si verum dicimus, tamquam qui perniciosissime Diabolum pro Christo colunt, indissimulabili condemnatione teneri; aut nos, si mentimur, intolerabili, & nimis odiosa super innocentis præjudicio præsumtione seduci. Restat itaque, ut eo probato, quod objicimus, aut furor & indignatio Dei vos perseverantes corripiat, aut misericordia respiciat pœnitentes. Sed ut existimamus, nullus vestrum, qui ipsius patrocinium suscepistis, adeo attritæ frontis erit, ut quod de invasione dicitur, audeat diffiteri, quum universus pene Romanus orbis his veluti diffamatis, & publica notitia convictis attestetur. Quum igitur protervitatem vestram in hoc validissime coarctari sentiatis, insumitis aliud suffragium evadendi, sicut fures deprehensi, qui pernegant quicquid sibi nociturum prævident, confingunt autem quicquid putaverint profuturum, mentientes illum numquam fuisse Papam, quem sancte, & religiose in gremio ejusdem Ecclesiæ a puero educatum, in tempore necessitatis quando ingruentibus vitiis virum plenum fide, & Spiritu Sancto ad suscitandos Canones oportebat assumi, eadem Catholica Mater per celebrem electionem eorum omnium, qui pro instantia temporis interesse debuerunt, & potuerunt, præfecit sibi rectorem, & gubernatorem omnium in Christo regeneratorum. Hunc non solum Gallicanæ Ecclesiæ, sed Theutonicæ, & Hispanę, postremo Græcæ, & Latinæ sine contradictione cum debita veneratione susceperunt, & usque in præsentem diem se tantum Pontificem habuisse non sine gratiarum actione reminiscuntur. Talia eos Canones docuerant. Hoc Spiritus, qui a Patre procedit, columbæ suæ, quæ sine ruga, & macula esse cupit, inviolabiliter servandum mandavit, ut Successores illius, qui Barjona, idest filius columbæ, a Domino dictus est, Summi Pontifices haberentur, in quos sicut succedenter ejusdem Apostoli semel suscepta potestas transfundebatur,

ita

ita honor Ecclesiastici culminis, & aliorum negotiorum pondera referrentur, nec in dandis judiciis de Apostolica dignitate quicquam adimeret vita inferior succedentis, ubi per Catholicam ordinationem adessent & Spiritus Sancti gratia, & Petri merita præsidentis. Utrum autem vos eumdem receperitis aliquando Summum Pontificem, arguit post primam excommunicationem satisfactio Regis vestri facta in Italia, quando rerum desperatione compulsus nullus vobis miseriæ exitus occurrebat præter absolutionem ipsius, quem licet perfidis mentibus Pastorem tamen, & Dominum cognovistis. De quibus plura scribere omittimus, quum in præfati viri Historia de his omnibus plene lucideque digestum sit.

CAP. XXIV.

ILlud vero prætermittendum nobis nulla ratione visum est, quod malignitas vestra confinxit de Epistola quadam ad corrumpendos minus intelligentes in eumdem Sanctum Gregorium composita, & ad persuadendum, & ingerendum scelus vestrum mentibus simplicium, quasi quod agitis, ex æquitatis Zelo non ex odii falsitate procedat, per diversas partes Regni directa, ut indiscreti homines, qui non recogitant, utrum sit, sicut dicitur, sed credunt ita esse, quod sic scribitur, adjuvent partes vestras, & mendaciorum, quæ intenditis, horrore permoti inauditam crudelitatem vestram excusabilem opinentur. In qua liquidum est recte sapienti, quod vos, per quorum ora pater mendacii ex propriis loquutus est, ex patre Diabolo estis, qui in veritate non stetit, sed talia de Christo Domini, & Beatorum Apostolorum Successore, vos dicere, & scribere compulit, quæ nec verisimile est in quemlibet plebejum hominem cadere potuisse. Sed quia in toto malignantium conventu, in quo Treveris, ut audivimus, consilium opprimendi justi habitum est, nemo illorum, qui in Cathedris pestilentiæ sederunt, idoneus inventus est, qui sciret ad increpan-

dum

dum innocentem, & subvertendam justitiam verba componere, & ornate detrahere sermonibus veritatis, injuncta fertur esse hujus negotii cura cuidam homini grammatico Wirrico Treverensi Magistro, qui sub persona Eliphat Temanitis, Virdunensis scilicet Episcopi, fraudulentis verbis, & dolosa percunctatione augeret dolorem sancti Job in sterquilinio mundanæ tribulationis sedentis, & scaturientes vitiorum vermes de Corpore Ecclesiæ radentis compassionis manu, & testa veritatis. Ille vero Grammaticus ad exprobrandum Deo viventi de Philistæorum coetu electus, gaudens suscepit operam; atque more Scholarium Rhetorum, qui in suscepto themate non attendunt quid gestum, vel non gestum sit, sed in fictis causis præacuentes linguas, tantum eloquuntur, quantum quilibet vel inferre injuriam, vel ipse sustinere potuerit, fecit Epistolam contumeliis Sanctæ Ecclesiæ redundantem, cui velocius respondere deliberamus, adjutorium nobis præstante ipsius gratia, cujus dono scimus discernere, quid sit superbia, & obedientia, quid turpitudo, & castitas, quid distet a falsitate veritas, & Angelum Sathanæ, quum transformat se in Angelum lucis. Ita enim introductus Episcopus in verbis illius Epistolæ amicum se simulat, ut tamen sub habitu inquirentis totum inimicorum virus effundat. Qui si verus amicus foret, non pateretur sub suo nomine sacrilegorum blasphemias publicari, quum facile illi esset, si curaret, refellere calumnias objectorum. Sed optimus amicus maluit Domini, & Magistri sui ficta convicia decantare, quam offendere impiorum consessum; quæ, si pie saperet, combureret debitis flammis potius, quam susciperet deleganda. Et prædictus quidem Domini servus Gregorius absconditus in abscondito faciei Dei a conturbatione vestra, & protectus in tabernaculo ejus a contradictione linguarum vestrarum perfruitur decore Domus Dei, cujus honorem, & libertatem amavit, prædicavit, & docuit in verbo veritatis, & virtute Dei, cum prædecessore suo B. Paulo in conspectu hominum incedens armatus justitia per infamiam, & bonam famam,

mam, ut seductor, & verax, quasi moriens, & ecce vivit, ad horam contristatus, semper autem amodo gaudens, & locum habitationis gloriæ Dei adeptus, inebriatus ubertate gratiæ ejus, & torrente voluptatis æternæ potatur, experiens cum fideli David, quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Ideoque, linguis vestris adhuc per terram serpentibus, benedicit Dominum, qui mirificavit misericordiam suam sibi in Civitate munita, superna scilicet Hierusalem, ad quam stultitiæ, & maledicta vestra aspirare non possunt, quia ibi præsidet veritas Patris, quæ de loco Sancto suo prodit omnes, qui loquuntur mendacium; propugnatores vero æquitatis, & defensores Christianismi sui indubitanter animat, ut confidant, quia ipse vicit mundum. Quoniam etsi differt, non deficit, sed præsens auxilium omnipotentiæ suæ semper illis communicat, quibus dicitur: *Ecce ego vobiscum sum in consummationem seculi.*

Supplementa

HISTORIARUM JOHANNIS DE CERMENATE.

Supplementa

HISTORIARUM JOHANNIS DE CERMENATE

Addenda Tomo II. pag. 60. Anecdotorum.

IN JOHANNIS DE CERMENATE

Fragmenta.

HIstoriam Johannis de Cermenate Notarii Mediolanensis *de rebus gestis Henrici VII. Imperatoris* evulgavi ego Tom. II. Anecdotorum meorum pag. 31. At in Prolegomenis dolebam, quod in Codice MS. unde illud Opus descripseram, aliquot folia desiderarentur, idque etiam factum suspicabar, ut alicui mos gereretur, cujus interesset non omnia Cermenatensis scripta luce donari. Sed suspicionem tamdem istam a me depulit Lazarus Augustinus Cotta Jurisconsultus Novariensis, vir eruditione Librisque editis clarus, quippe qui integrum ejus Historiæ exemplar nactus, ea quæ editioni meæ defuerant, non solum descripsit, sed etiam benevole, ut solet, communia mihi fecit. En ipsa igitur Supplementa, quæ nunc demum profero, addenda suis locis, & ejusmodi, ut nec inutile futurum putem edidisse, neque ingratum legisse.

pravis moribus ubique præcipue per Italiam confundere, cujus contratæ incolas suo damno nimium spernunt, quod vacationis Imperii per tot tempora maximam; imo solam causam puto: heu quod antiqua, & fida Imperialis aulæ hospitia pravus ordo Germanicus a se pellit culpa sui. Cum itaque de cunctis partibus portarum Vercellinæ, & Ticinensis ad Viperina signa concurritur, dumque jam ibi frequenti agmine facto Galeaz, & qui secum erant, versus propinquum vicum, quem vulgo *Curiam Ducis* dicimus, frontem darent, ibi solicitam Germanorum turbam vident, quippe quoscumque in armis cives timent. Tunc Boschinus Mantegacius nuper beneficio Regis de exule factus civis, ut paventium animos Germanorum firmet, de suorum agmine (nullo, quod eum compositorem, aut nuncium esse significet, signo dato) ad eos solus tendit. Contra quem iratus Teutonus hostiliter eum accedere ratus, nudo ense sponte venit. Verum Boschinus illico de vertice galeam tollens civiliter, ac blando vultu ad eum tendens, se suum probat amicum: deinde secum ad sociorum turbas pergit, quos omnes per paratos interpretes illico securos, & multum lætos fecit, docens, Galeaz Matthæi filium, cunctos etiam, quos armatos vident, Regi fideles fore: cujus beneficio cuncti cum familiis nostris, inquit, olim dispersi in dulcem patriam reducti sumus. Sinite, volumus, atque pacati in armis sumus, vobis, atque nobis, & nostris rebus dare subsidium. Itaque his actis illico Galeaz, & qui cum eo convenerant, congratulantur. Reddita sibi mente Teutoni, & junctis fide dextris uno agmine una equitant per amplam stratam S. Thomæ usque ad latum vicum veteris pontis portæ Cumanæ. Anteibat Ga-

leaz

leaz cum Epiſcopo illius agminis Germano duce. Cui, quidnam, inquit Galeaz, nobis agendum eſt, dicite. At ille: Scitis, inquit, Ducem Auſtriæ cum omni turba ejus, quæ non modica eſt gentis noſtræ, non intra urbis męnia, verum etiam extra urbis muros juxta Cœnobium S. Simpliciani portæ Cumanæ foris hoſpitio fore. Hi clauſis foribus ad nos introire, ac nobis ſubſidio eſſe nequeunt. Tunc * Guelforum circumſtantium vis pontis veteris amplum locum occupat, ibidem relictis peditibus Creſone Crivello, cujus Turrianæ nurus vinculum Johanni filio ejus nupta nunquam ſedavit animum, quippe nimis inſidet alta mente cæſi patris injuria prope ripam Guaſæ. Galeaz ad portam Cumanam tendit, & pandita porta quingentos præfati Ducis Auſtriæ equites introducit. Qui urbem intrarunt, dominum ſuum ſolum quærunt: ipſum, ſuamque ſalutem, aut diſcrimen illico ſcire volunt. Hic enim Dux primus puber paulo ante tumultus initium paucis comitatus alumnis, quibus eum genitrix mandarat alendum in armis, viſitans hoſpitium Regis, & inde rediens (heu miſeræ genitrici) pęne a crudeli fato innocens puer ereptus eſt: nam juxta communem porticum S. Marcellini temere volat lancea, inerme pueri crudeliter latus petens. Sed fidelis bailus, velut ſubito facto amens, ocius occurrens inermis, & ipſe prono corpore nimium ſævum capit telum. O præclara, & utilis modo fides! o grata Deo virtus! Qui fideliter protexit Dominum ſuum, a Domino cuncta merito cernente ſervatus eſt, cujus fortis manus venientem haſtam torquens per ſumma veſtimentorum fidelis militis, omnem periculoſi corporis locum vitans, innocens rexit ferrum. Pluribus itaque, qui viderant, aſſerentibus ſalvum Ducem, una omnes læti ad veteris pontis locum veniunt. Ibi Creſo Crivellus antiquis, & novis offenſionibus, & injuriis turbidus, ac patriæ cędis non immemor,

quem Turrianus gladius percusserat ad flumen Guasæ, multis referentibus, confusos Guelphos, atque Turrianos Vastis victos fore, percipit. Quod Galeaz & Teutonis secum redeuntibus nunciat, alta voce vociferans, delendam ubique per Urbem Ghelficam gentem censeo. Cujus vocem laudant Teutoni, ac nudos ostentantes gladios, finite, inquiunt, his gladiis utiliter rem vestram geri; ut securi in urbe semper sitis, provideatis semel vobis. Tum Barbarorum dictum cuncti probant etiam stolidi cives nostri. Solus in ea turba principum junior Galeaz, Dei, atque hominum ea die memor fuisse videtur. Nam primum sermone blando alloquens, Cresonis iram mitigat: deinde cunctis audientibus: locus, inquit, certaminis ante omnia visitandus est: ibi quod periculi, atque ambigui est, de medio tollendum, ac seditionis Duces, sicubi reperiantur, gladio puniendos puto. Omni itaque agmine ad Turriana Vasta ruitur: ibi ex Turrianis sequacibus plerisque cæsis, ac rubicundo solo stratis, per fugam cæteros evasisse, reperiunt, per plenas Domos Teutonis prædam quærentibus plusquam cædem. Spoliabantur non modo Guidonis agnatorum, atque sequacium ejus, verum etiam innocentium vicinæ nimium miseris Turrianis domus juxta Turriana vasta. Miserum certaminis locum habitabat dives, & popularis familia de Segazonibus, qui conductores, ac studiosi Gallicæ, & Britannicæ lanæ erant negotiatores. Horum domos adductis de Gallia, aut permutata lana drappis plenas Teutonum manus occupat vi, & violatis famulis cunctas domos: capiunt claves, & qui intus sunt jure belli sua esse volunt: nec ullo Galeazii dicto, aut facto illius boni civis pacificam innocentis familiæ domum testantis inde prædo barbarus educi voluit, nocentibus innocuo rebus suis, aut qui secum erant, aliorumve bonorum civium de horum popularium domo minime

belli-

bellicosa, omnique causa seditionis ignara, divitiis ac rebus suis sibi nocentibus, deduci valuere hi prædones barbari: imo pluribus diebus non modico rerum damno claves domus tenuit prædo, donec continuo crescere sua damna videns tam pacificus civis noster auro redimeret, quæ remanserant in domo sua utpote reliquias prædæ.

Erat tunc Mediolani Paganus de la Turre Episcopus Paduanus innocentis Zonfredi frater, qui primi tumultus vocibus stupefactus, illico apicem, & baculum pastoralem sumens in Ecclesiastici Pastoris habitu ante germani sui portas ædium verendus stetit, aliquot pie circumstantibus pacificis Gibellinis; cui sacræ Religionis, & circumstantium reverentia vix sua * vita, boni fratris domo penitus spoliata. Interea Matthæus consensu Regis tumultus loca visitans, tollendi injurias, ac sedandi prædas gratia, domum dilecti civis Fratris Jacobi de Beccaloe Virginis Gloriosæ militis petit, ignarus, quid ibi latitet. Ubi nùnc divitis Guidonis superbia, qui patria urbe vivere æquo jure nesciens, nunc dum plebeji civis domi latitans volantium stridorem avium timet, Matthæi Vicecomitis famulis pulsantibus, stridentes domus fores sentit? ad quas currit ille sedulus, & fidelis Frater Jacobus, nullius servi domus fidens: qui patefactis portis Matthæum licet amicum videns, non pro se, sed pro deposito præsentiam ejus timuit, ac tantum utcumque timore presso, satis claro vultu, inquit: Quid vultis, quidve quæritis a domo vestra? At ille: nihil nisi, ut domus, & quæ in ea sunt, dum possumus, secura sint. Deinde paratos in armis famulos ostentans offert, quos secum teneat præsidii causa domus. Cui ille inquit: Nec præsidium vestrum repudio, nam scio præsto erit, nec dubito, si necesse erit. Verum illico vestra opera sedabitur (existimo) furor iste, & omnis innocens civis securus erit. Ite, nullum discrimen cunctos defendentibus cives

vestros, & bonum vobis fuit, erit. Etenim verbum illud subitum, ac cunctis notandum civibus, si animus nobis foret ratus. Nam tunc primum hæc prospera in tam periculoso rerum discrimine, aspirante fortuna, Teutonus furor effrænis factus, exultat nimis, & licentius in quoslibet cives sævire cœpit. Itaque non modo eorum, qui arma sumpserant contra Regem, spoliantur domus, verum etiam innocentum, & imo eorum, quorum studium Turriani nominis, ac suæ factionis extiterat odiosum. Hujus rei non modica causa fuit pestifer invidiæ morbus inter cives tunc nimium perdita caritate laborans: nam ob prava, quæ diutius in urbe fuerant, partium studia multis veteribus, ac novis offensionibus, & injuriis multorum, ut fit, mutuo datis, apto (ut sibi visum est) tempore suscitantur odia; inde neque verso pollice multorum Barbaris signantur domus. Hæc adeo crevit pestis, ut plerique, qui ad suorum civium spolia causam dederant, suscitatis deinde in eos prædonibus spoliarentur. Sic sæpe digna meritis præmia mortalibus reddit Deus. O vilissimi vilium cives, quos canina nimium rabies vexat. Saltem vos moveant ridiculi prædonum risus. Ridet Teutonus, & omnis Barbarus amentia vestra, qua utitur, gaudens. Offendere, non tegere potestis vicinos vestros: non Matthæi, & qui injuriam ægre ferunt, opera tollitur illa pestis: quippe cum se opponere Teutonis non audeant, protectione parum prosunt. Utrum instantia, qua possunt, ad Regem, & ejus Principes, atque humili intercessione proficiunt. Quippe nec ipse Matthæus, qui præ cæteris erat civibus, ac Gibellinæ partis primus, se in urbe tenere nequit, & innocens vivere domi suæ. Nam post paucos dies Matthæus in Astam, Galeaz filius ejus Tarvisium jussu Regis in exilium pergunt. Verum sibi plurimum nocuit invidia, atque plurimorum pavor: nam Magnatibus Gibellinis ejus crescens poten-

tia

tia aut odiosa nimis fuit, aut pavoris causa. Nam plerique eorum olim cum ipso Matthæo magna vi regnante militantes, facta in castris conspiratione cum hostibus justa Meltium, adeo procuraverant casum ejus, ut eorum opera sub specie tractandæ pacis in manus Alberti Scotti (quem Comes Philippo de Langusco, & Antonius de Fixiraga contra eum incitaverant) traditus ex Domino urbis suæ, ac magnæ partis Liguriæ, factus sit exul usque ad hujus Regis adventum. Reliqui vero dum mente recolligunt, & examinant regnantium morem, specialiter in urbe nostra, ne ejus potentia libertatem civium occupet, timent. Sed brevi tempore operosi cura Francisci de Garbagnate, omni suspicione Regis prorsus dempta, cum maxima, ac solerti solicitudine, uterque in patriam, ac Regis gratiam revocatus est. Nam plerique eorum, qui Matthæum ambitionis vitio accusaverant, apud Regem nec sua vitia occultare valuerunt, quin ipsius Francisci opera, atque judicio Rex perpenderet, eos etiam neglecto Reipublicæ ac communis boni studio, pro se quemquam, ac pro sua magnitudine laborare. Quo fit, ut ubi sic vivitur, quod vitio civium commune bonum propriæ utilitati postponitur, potentiores, qui etiam præ cæteris vicinis suis molestius servitutis jugum ferunt, tyrannicum imperium in urbe provocent. Nam dum impune more suo proximos inferiores premunt, humiles populares etiam invitos ad creandum Dominum ex primoribus urbis cogunt, de quo licet, ut fit, simulent, non confidunt, ut saltem pravorum civium injuriis sub quoque regimine vivant tuti, unicum potius, quam plures, volentes Dominum.

At Matthæus per literas Regis exilii liber factus in patriam rediens Papiam venit, quo visendi gratia antiqua Imperialis urbis mœnia venisse Regem senserat: ibique benigno Regis vultu receptus sperare cœpit intentum suum. Nam cum discumberet ante Regis faciem,

ciem, oblato sibi primo Regis ferculo, puer Lupoldus Austriæ Dux (in quo Matthæus magnam spem præsidii gerebat) signum, inquit alta voce clamitans, Matthæe, tibi maturæ promotionis nuncio. Quid hic moror? quid amplius super his hoc loco disserendum est, nisi quod puer iste, ut apparebit inferius, veridicus, & verus vates fuit? Ad alia transeundum est, ut hæc aptius nobis occurrant.

Interim fama volax pulsi Guidonis nuncia undique variis rumoribus per Italiam sparsa multos mortalium solicitos, ac nimium pavoris plenos fecit, quorum plerique varia intentione rebelles fiunt Regi. Verum illa nova seditio (pessima res) non modo Regi, imo etiam cunctis ejus subditis prius tres Ligurum, ac proximas urbes nobis monuit, Laudam scilicet, Cremonam, & Brixiam. Sed astu callidi Antonii de Fixiraga, qui de cœtu Consilii Regii Laudam armatus fugerat, ille prius scrutata annona, nec non per Laudensia horrea modico bladi reperto, consilium rebellionis temere sumptum ponit, & Comitis spe, ejus literis, ac nunciis, & sub fide data fretus Mediolanum veniens præfatæ Laudensis urbis claves ad pedes Regis prostratus offert: & non reverentia, neque cupidine pacis motus, sed urbem ad longæ stationis obsidionem minime dispositam, atque paratam sentiens dixit: peccavi, fateor, Domine, miserere mei; urbis dominium cape. Idem Bassanus ejus frater, & Antonius de l' Acqua, & quamplures, quos majoris fidei causa secum Lauda duxerat, supplici voce ferunt. At Rex indignatus nullam faciem, aut vocem miseris supplicantibus dedit. Tunc Comes Sabaudiæ non miserorum causam deserens, ubi Italiæ fines tetigit Rex, seu quæstu, ut fit, seu conscientia, consilioque Regis per industriam (hic Guelfico semper favit) ad Reginæ Cameram post Regem tendit, Antonium de Fixiraga quasi pavore perditum secum trahens. At ubi clemens Regi-

na

na signo per Comitem cognatum suum dato Antonium vultu confusum vidit, benigno mota spiritu, ac miseris compatiens suo more, inquit Viro: Domine mi, miserere quæso revertentis amici, & cunctis mortalibus certum spei signum dabis. Tunc sumpto animo venales preces reparat, ac spe . . . . . . opportunus, infestusque nimium Gibellinis Comes. Hinc utriusque non una intentione rogantis prece victus Rex, inquit: Antoni, tota Ligurum in te fallit opinio, dum te partialibus studiis deditum, obtinatumque perverso vocabulo contumacem vocant. Deplorabimus item fidem tuam: attende, si quam hic tam libera voce dedis, atque paratam, apertamque nobis asseris, Civitas de facto detur nobis, non salvus modo, verum etiam in aula nostra electus eris: quod si aliter, certe pro meritis dignam pœnam dabis. Deinde Henricum de Flandria Merescalcum ad se vocari jussit, cui cuncta prius docto negotium dat, commendans sibi Antonium de l' Acqua, & Bassanum de Fixiraga, qui una secum veniant, ac dum pateant Laudensis urbis aditus, obsides sint. Itaque cum magno equitatu ad urbem Laudensem properans haud longe a portis Henricus sistit iter suum, unde portas clausas, muros armatis viris plenos sentit. Tunc electa arbore, qua illico miseri pendeant vades exutis superioris togæ vestibus, festinate, inquit, vadibus, nuncium bonum, & fidum nobis mittite, cui, si qua vobis est in urbe fides, detur qui nunciet, vos, atque alterum Antonium, & qui cum eo Mediolani in aula Regis sunt, ni vestræ urbis mœnia illico patefiant, passuros horridæ mortis casum, nuncientque, Laudensem agrum incendio futurum. Nec plura inquiens, jam ad famulos versus, injice lictor amborum laqueum collo. At Antonius de l' Acqua in tam arcto, atque extremo casu nec sui immemor, nec desertor fuit, inquiens: Maresciale, non hac intrabis urbem via: opinione sua falli-

fallitur, quicumque putat intentum Regis exequi morte nostra. Non sic panditur ulla vobis porta: quin imo cuncti civium animi claudentur vobis, cum senserint casum nostrum, & spe salutis seposita, priusquam de deditione loquantur, cuncta extrema pati volent; armatos etenim per muros cives cernitis: eos non aspera, & furiosa crudelitas, sed magnanima clementia revocabit ab armis. Credite, inquit, mihi, licet miseris minima fides detur: nullo præter me nuncio in hac parte opus est: profecto sine me mittitur quilibet alius frustra. Ego autem solus (quisquis fortunæ casus ferat, utcumque respondeant cives) in potestatem vestram rediturus (placeat modo) vadam explere mandatum, ac voluntatem Regis queo. His itaque, quæ veri similitudinem continebant, dictis, data fide, dimissus prope, in urbem Antonius venit: cunctos cives incursans, amplexansque, plerisque spem vultu simulans, bonam Regis voluntatem nunciat, cunctosque uno, ac generali sermone lætificans, eis sperandi causam dabat: alios utpote domesticos, & familiares lacrymans, suum, & suorum extremum casum docet. Tandem cunctis familiaribus, proximis, & amicis precibus oneratus, ac sua cuique data cura, in jam frequentis Senatus pavidam turbam vadit, ibique hujusmodi verba habuisse dicitur. Post pestiferum, inquit, Cives, quibus cuncta scire licet, Guidonis de la Turre, & filiorum suorum casum, quos, si vera fateri volumus, non Rex, sed sua temeritas expulit urbe sua, temere rebellionis arma sumsimus contra Regem, more catuli a longe latrantis ad aprum, quem solo sentit odore, & venientem expectare non audet. Deinde post tam stolidam audaciam vestram tarde, & forte frustra, nisi invenissetis amicos quærentes consilium rebus vestris, examinare voluistis, quid intra mœnia victus erat, & aliarum rerum, quæ hostem in statione mi-

nan-

nantem timere minime patiuntur, quarum rerum modicum inveniſtis, quo territi ad iratum nobis Regem nos nuncios deſtinaſtis purgandi criminis cauſa. Periculum caute indignationis maximo cum pavore ſubivimus, & amici noſtri Comitis Sabaudiæ comitiva freti iratum Regis vultum vidimus, & una cum tanto interceſſore veniam orantes, fruſtra irato Principi obtulimus urbem, & urbis jura. Ille præſentia noſtra offenſus, imo eo loco pulſus indignationem augens, torvo vultu vadit immurmurans ſæva nobis. Itaque dum in tanto, & tam triſti diſcrimine laboramus, & dum quiſque noſtrum ſeſe reputat in extremo vitæ ſitum, fortuna, quæ nec ſemper miſeros linquit, paulum aſpirans nobis, ad Reginæ cameram dirigit greſſus Regis, quo per amicum nobis Comitem introducti, iterum miſeriarum, ac lacrymarum pleni fundimur ante pedes Regis, ubi dum more ſuo pro nobis ſpargit preces Comes, Regina clemens, & ſemper pia, miſeros ſedula prece ſuſcepit, & relevat miſeram, ac prope perditam cauſam noſtram. Attamen Rex primum gravia, & nimium horrenda nobis verba jacit, & velut nobis increpans, ſed fortius Antonio de Fixiraga inconſtantiæ crimen imputat. Deinde ſerenus, ac ſubito placidior vultu factus, moneo vos, inquit, debitæ fidei memores, ac deinceps commodo veſtro conſtantes ſitis; deinde dum promiſſæ fidei idem ſemper ſimus, multa promiſit nobis bona; & contra multa minatus eſt nobis; verum multo fortius Antonio de Fixiraga, cui: Experiemur, inquit, fidem tuam: ni urbem promiſſam nobis dederint cives, tuique complices, noſtræ genti, quam hic a longe nobis deditam, & paratam nobis aſſeris, pro meritis pœnas dignas dabis. Verum ſi dedita nobis Civitas in te adhuc fidem ſperari dederit, non modo ſalvus, verum etiam in aula electus eris. Interea Henricus Mareſcalcus ad ſe vocatus venit, cui Baſſanum de Fixiraga, meque ſecum cuſto-

dien-

diendos tradidit. His tecum vadibus, inquit, accedas urbem Laudæ, & si quid rebellionis invenies, fac ambo pendeant laqueo in conspectu rebellium prope portas, deinde captis, cæsisque colonis Laudensem agrum undique incendio ponas; quid de hoc Antonio, & reliquis proditoribus fiat, per hujus incendii signum significans nobis statim. Itaque, Cives, vestram, ac nostram scitis conditionem: igitur si indigna, ac misera vestrorum legatorum mors, quos non Regis, verum sententia vestra necat, nullius vestrum mentes mollit, vos saltem moveat proximus, ac certus casus famis, quæ vobis obsessis jam prima, & subita malorum comes aderit. Esto quod multi jam clarissimi viri, & nos similiter pro populo moriamur, dum hoc sine crimine vestro fieri possit, & saltem dum certa maneat vobis aliqua salutis via, dicite quæso, unde novum apparuit consilium tam salubre vobis, crevitque hac nocte, quæ heri vacua reliquimus, in horreis gravum? Redibo, quoniam ita sedet animo vestro, aliis Legatis vestris certus comes necis. Sustinebitisne tristem abeuntis faciem ad tam deforme patibulum more latronis, quod non merui? Sed video, placet vobis peccato vestro peream cum cæteris, quos perdit sola fraus vestra. Credite tamen in extremis mihi, vaticinor moriens: hæc erit vobis post magnam pestem fames præambulum vestræ necis. An creditis, vos veniam meruisse post mortem nostram, si rebellione vestra moriamur? Nulla causa nostri, nisi forte pro causa simplicitas imputetur nobis. At si vobis incredulis nulla Regiæ promissionis boni restat spes, in ipsius saltem Principis consorte thori sperare licet, cujus benigna vox nos in aula sua liberavit animio Regis furore: deinde suaviter nobis jam sua intercessione securis, inquit: Recipite beneficia Regis, quæ, si vultis, vobis parata sunt, nusquam deerit favor noster. Unde nescio emergat amplius vobis timoris causa, neque quic-

quicquam molesti inferant milites Regii timendum est. Nam edictum Regis sciunt, ut omni domo libera, & rebus hospitum salvis, mercato vivant, quippe florenorum Mediolanensium pleni ad vos veniunt. Exponite per vicos venalia, quibus egent, & implete bursas vestras nummis. Deinde largas fundens lacrymas (post stuporem) ultimum verbum dixit. Deliberate, malitis potius cum tanto discrimine vestro mortem nostram, quam vos vestro commodo nobiscum salvos esse? His lacrymis cives victi pandunt Teutonis urbis portas. Tum omnes introducuntur extorres, & antiquorum exulum natorum nati, quorum plerique nesciunt domos suas.

At ubi Rex deditam urbem recepit, exercitum, quem contra Laudenses edixerat, illico atque instantius pacari jussit, Cremonensibus, ac Brixiensibus publice hostibus nunciatis, quorum nova defectio exagitat nimium mentem ejus. Itaque iterata præconis voce edicitur in foro justitium, tabernas clausas, quas stationes vocamus, victualia pacata, atque vehicula intra urbem coram Officialibus ad hoc deputatis præsentari, cunctosque, qui per ætatem arma ferre possunt, equis, & armis illico paratos esse. Tunc tanta ex agris in urbem plaustrorum copia introducta est, ut non modo fora, & alia loca communia, verum Cœnobiorum, & aliarum religiosarum domorum spatia. . .

Pag. 73. in fine hæc addantur post verba
honorifice susceptus est.

Ibique superveniente Bavariæ Duce, & de pluribus Italiæ partibus, & aliunde in subsidium comitiva, consumptam, ac prope perditam militiam reparavit. Verum ibi irrecuperabile damnum passus est, sanctissimæ consortis morte, cujus transitum plorant pauperes, quibus sæpissime suis manibus ministra-

bat

bat in mensa: lugent Proceres, & Magnates, quibus honores, & dignitates, atque ipsum horum datorem Regem conciliabat: lugent qui intercessione Dominæ reconciliati sunt, & qui reconciliari sperabant suis precibus inimici. Verum ut fit, in tam cunctis amaro Reginæ transitu sua quisque potius (etiam Rex) damna lugent. Neque hic Reginæ transitus pro se, aut sui causa lugendus erat, cum ipsa terrestrem coronam relinquens transierit ad cęlestem. Sed a summo ad infimum plerique mortalium cujusque generis nimium pestiferum sentient suæ mortis damnum. Quis amodo tam pie, tam misericorditer, ut hæc, miserorum causas apud Regem suscipiet? quis reos, quis rebelles, quis miseros contumaces tanta confidentia reducet ad Regis fidem? Neque hic loci silere possum ridiculum illud civis nostri Rizardi de Marliano, qui libros Sibyllinos antiquitus servatos habebat in domo, qui affirmabat, Regem moriturum, priusquam Janua decederet: ubi inde abiisse, & Pisas venisse rescivit, eos ut falsos projecit in ignem, inquiens: amplius non fallar a vobis, non forte propheticum illud intelligens sana mente, nec considerans, quod tam pia, & clemens Regina decesserat, cujus fons clementiæ roborabat, & conservabat Regnum viri, sine qua moritur omne Regnum. Ego autem vivum Regem sine Regno nunquam vidi.

Dum itaque Rex noster Januæ moram trahit simpliciter ambulans, & bona fide pacem appetens cum Rege Roberto, ad quam procurandam Summus Pontifex operam suam dabat, dum tanti mediatoris opera, & authoritate confidit, ipsum Regem Robertum, sicut jam alios, ad solennia consecrationis suæ amicabiliter convitavit, suscitans canem dormientem. Nam Robertus iste susceptis literis Regis nostri, ipsius successus in Lombardia nimium ægre ferens, ac videns, quod sibi nihil

nihil profuerant in Lombardia jacta seditionis semina, aut ullius Guelphicæ factionis opera, quin ille, quem solo odio, quod in eum occulte gerit, extimat inimicum, jam prope sit, ut aureum diadema suscipiat, ad impediendum ipsius Regis nostri propositum, Romam illico destinat Johannem fratrem suum cum quatuor centum equitibus, falso tamen testificans Regi, quod ipsum destinat ad solennia coronationis suæ, cum ad id, ut desiderabat, personaliter interesse non posset. Johannes iste ubi Romæ fuit, illico pecuniam fratris per potentes Romanos sparsit, ut potuit; sed primum Ursinos, & partem Guelpham, in quorum potestate erat Basilica S. Petri (ubi ab antiquo coronantur Reges) sibi fidos, ac sui consilii participes statim fecit, multis tamen promissionibus solicitans Colonnenses, si eos corrumpere posset ullo modo. Eis tamen intentum suum aperire non audet, ac eisdem proponit, ut non impediant Dominum amicabilem operam dare, ut eos cum Ursinis componat. At postquam sensit, Colonnenses in fide Regis constantes nullis subdolis verbis, neque promissionibus in propositum suum trahi, illico bellum sumpsit contra eos, cunctis procurans viribus pellere ipsos urbe.

Hæc ubi sensit Rex, Regi Roberto statim scripsit, quod multum mirabatur de hujusmodi fratris sui novitate. Qui rescripsit, quod non miserat fratrem suum in rebellionem, neque ut obstaret coronationi suæ, sed ut ad ipsius coronationis solennia convivia afforet honoris causa, asserens, nullam novitatem fieri Romæ causa sui: imo, inquit, suscitata sunt inter Romanos antiquarum seditionum semina more suo. Quodcumque scribitur, Romanorum Rex nihil mali suspicans omnino credit, & in pura, ac fida simplicitate constantis animi cuncta ferens, & gerens, nec propterea tractatum Clementis Papæ respuit, qui matrimonii copula jamdiu ventilata vinculum

dilectionis, & pacis proponebat inter Reges: cujus rei causa Conradus Lanzia Federici Siciliæ Regis Nuncius tunc Januam frustra venit eam Regis nostri filiam, cujus per Pontificem tractabatur matrimonium, petens pro Petro ipsius Siculi Regis filio.

Erat tunc Januæ Ludovicus de Sabaudia, qui ab initio rerum præcursor, ac Legatus Regis, Romæ fuerat, ibique mira alacritate receptus, atque ob reverentiam Regis Senator Urbis factus rexerat per tempus certum: Deinde dimisso, qui populum regeret vice sui Jacobo de Ambalis, in castra Regis venerat juxta Brixiam. Hunc (frequentantibus Colonnensium nunciis Januam venientibus, requirentibus subsidium, ac celerem adventum Regis Romam, non ut guerrificet, verum ut civiles motus componat) misit, cui non ultra quinquaginta equitum Germanorum comitivam dedit, nil aliud suspicans, nisi quod paucitate lictorum Judices, & Vicarii, quos ibidem Ludovicus in urbe dimiserat, hos urbis tumultus sedare non possent. At Ludovicus Romæ cuncta rebellionis plena, & suos Vicarios corruptos reperit, qui nullius divini, aut humani juris, aut fidei memores, neque juramenti, quod præstiterant, gerentes animum rebellionis contra Regem, nec Vicariatum, nec Capitolium Ludovico reddere voluerunt.

Interim Rex de Janua Pisas venit, maris iter tenens, cunctis itineribus terrestribus opera Guelphorum clausis. Jamque erat annus Domini MCCCXII.
1312. ibique Pisano populo admodum gratus duorum mensium spatio moram traxit, nulla contra rebelles Tuscos novitate suscepta belli, salvo quod voluntate Regis per Marchiones Malaspinas bellum Lucanis indictum, atque susceptum est. Ibique frequentibus nunciis referentibus, publicus famæ rumor Pisanam urbem replet, dictum Johannem fratrem Regis Roberti sedere hostiliter cum exercitu ante Pontem

Mol-

Mollem, quem ſub ponte . . . . Tiberis tenebant Colonnenſes, atque unicum in urbe tranſitum ſervabant Regi. Nunciatur etiam, ipſum pontem multis inſultibus, multis machinis, & bellicis inſtrumentis continue tentari. Attamen Rex noſter adverſus Regem Robertum nihil ſuſpicatur, & ſimulantem hoſtem ſentit, quodcumque ſibi ſignificatum fuerat, credit. Verum Stephanus de la Colonna vicinorum ſuorum artis, & operum non ignarus ſponte (non tamen diſſentiente Rege) properavit ad urbem, ut ſi viam viderit, prava Guelphorum conamina reprimat, & tumultus urbis tollat. Inſuper Rex non ſpernens tractatum pacis, imo ipſius pacis authori complacere cupiens Papæ, priuſquam de Civitate Piſana decederet, ex Secretariis ſuis contrahendi dicti matrimonii cauſa ad Robertum Regem miſit, eum Siculo Regi præferens pacis cauſa. Miſit etiam duos Epiſcopos, qui Romæ ſignificent adventum ejus, præcipue dicto Johanni, quique regratientur eidem, quod Romam venerit ad ſolennia coronationis ſuæ. Verum amicabiliter requirentes ab eo, ut ob reverentiam, & amorem ſui a Colonnenſium obſidione recedat, & omnis animus ſeditionis deponatur, & peſtiferum opus belli deleat., indictis treguis ſaltem uſque ad diem coronationis ſuæ, ſignificans, quod nullum ibi Romæ, aut alibi animum partialem habebat, intendens, ſumpto ibi Imperiali Diademate, de conſilio, & benevolentia fratris ſui ibidem operam pacis dare.

Interea Rex fideles Piſas linquens, ipſius urbis civium opibus fretus, multumque Italico milite roboratus, celeri, ac continuo itinere die primo Maji Viterbium venit, multos Guelphorum paſſus incuſtoditos tranſiens, multo tamen mortalium labore fruſtra munitos. Groſetinus enim Guelphus ad vicini fluminis ripam adventanti Regi, quem pluſquam mortem timet, non audet, ut minabatur, obviare, 1312. 1. Maji.

P 2 ubi

ubi quinquaginta retinere potuissent plusquam millevos . . . .

Hæc ubi (præsentibus Cardinalibus, qui secum erant) nunciata sunt Regi, illico in plano campo castra locari jussit : deinde proxima aurora diei, signis canentibus, in acies vocat, atque instruit gentem suam. Cardinales vero ubi Germanicam gentem raptis confestim signis, & armis citato agmine iter aggredi versus urbem vident, Regem tractatibus, atque suis intercessionibus fatigatum, atque ira fortiter mutatum de campo abeuntes linquunt. At Rex properans ad pontem, hostem non invenit, cum quo ibi manus pugnæ avidas conferat: verum nec ab hoste transitus relictus est totus liber. Nam ante Regis transitum faciendum locus Colonnensium erat, quem natura satis, & antiquorum arce munitum vulgus Erupitionem nominat, & Saracenorum opus esse dicebat. Hunc locum hostes, durante obsidione pontis, proximum occuparant, ac præsidio armatorum præcipue sagittariorum plenum, cum recederent ab obsidione, dimiserant, ne saltem volatili ferro Regis transitum impedirent. At dum Rex examinat in transitu per certam viam nimium sagittis hostium proximum periculum, & detrimentum gentis suæ, excitat ad passum ægro animo..

CAP. XLIII.

PA-

PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM VITÆ.

IN VITAS PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM

Prolegomena.

FErdinandus Ughellus V. C. Tomo V. Italiæ ſacræ Aquilejenſium Patriarcharum ſeriem, ac vitas proxime elapſo ſeculo nobis dedit, eoque in labore illum præceſſerant Dandulus, Sigonius, Panvinius, Sabellicus, Leander, Doglionus, Claudius Robertus, & fortaſſis omnium diligentiſſime Johannes Candidus. Supervacaneum itaque videri poſſit, poſt tot Scriptores in eodem ſtadio verſari, atque eruditis oculis materiem minime novam rurſus exhibere. Dignitas tamen Aquilejenſis Eccleſiæ facit, ut libenti animo accipiendum ſperem & hunc libellum. Siquidem in eo quædam non contemnenda habentur, aliis ignota, & digna profecto, quæ ad poſteros tranſeant. Quis Opuſculi Auctor fuerit, prorſus ignoro, quum nullius nomen in Ambroſiano Codice appareat, unde illud exſcripſi. Tempus autem, quo vixerit, conjecturis nonnullis aſſequi poſſumus. Quum Catalogum ſuum perducat hic Scriptor uſque ad Nicolai Patriarchæ mortem, ſcilicet uſque ad Annum Chriſti 1338., nihilque referat de Ludovico Turriano illius Succeſſore, veri mihi videtur ſimile, ſub eodem Ludovico, aut non longe poſtea, conſcriptum fuiſ-

ſe Opuſculum. Certe ante Annum 1420. hæc literis mandata fuerunt, ut illinc diſcere poſſumus, ubi de S. Marco legitur: *Euangelium propria manu ſcripſit, quod HODIE in Aquilejenſi Eccleſia omnibus videre volentibus demonſtratur*. Eruditiſſimus vero Fontaninus in Epiſtola quadam, apud Cl. V. P. Bernardum de Montfaucon legenda in Diario Italico pag. 56., oſtendit, vetuſtiſſimum Euangelii memorati Codicem Venetias, ubi nunc ſervatur, circiter annum 1420. fuiſſe delatum. Quare intelligas, ante ea ſaltem tempora Scriptorem noſtrum hæc literis conſignaſſe. Quanta vero fide, ac ſedulitate in his referendis uſus ille fuerit, non vacat in præſentia diſquirere. Laudato Fontanino hujuſmodi curam, ac ſtudium relinquere juvat, quippe qui Forojulienſium res, patriæque ſuæ Hiſtoriam ampliſſimis nunc & elaboratis commentariis perſequitur. Uberius ille nos docebit, quantum ab Hiſtoriæ veritate diſſentiant, quæ heic de anticipata Patriarchatus appellatione, & de duobus Peregrinis, & Gotfredo Patriarchis, habentur; reliqua vero pro ſua eruditione aut corriget, aut novis luminibus augebit.

PA-

PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM VITÆ.

IN nomine Domini Jesu Christi. Amen. Post ipsius sacratissimam Ascensionem ad Patrem omnes Apostoli, missis sortibus, per Mundi elementa ad prædicandum Verbum, per quod omne genu flectitur Cœlestium, terrestrium, & infernorum, & in quo salvamur, & salvi sumus, dispersi sunt; & licet Beatissimo Principi Apostolorum Petro, data fuerit super universalem Ecclesiam, ligandi, atque solvendi in Cœlo, & in Terra plena potestas, Spiritus tamen, qui ubi vult spirat, eumdem Apostolum Principem una cum Apostolo Paulo, super quos velut super firmas bases Ecclesia Dei fundata est, Romam deduxit. Ubi quidem Apostoli miraculis, & doctrinis prædictam Ecclesiam sub Nerone illuminarunt. Quorum discipulus B. Marcus Euangelista, qui ab ore Petri Euangelium scripsit ex præcepto dicti Petri ad Urbem Aquilejam famosissimum caput Italiæ, Pontificatus ab eodem Petro accipiens baculum venit, & per plures annos verbum salutis ibidem prædicans, & affirmans cum Apostolo: *Quoniam hic est Christus*, Euangelium propria manu scripsit, quod hodie in Aquilejensi Ecclesia omnibus videre volentibus, quia tale lumen sub modio poni non debet, sed super candelabrum, ut luceat, demonstratur. Et sic primus prædicator in Aquileja fuit B. Marcus Euangelista, qui prædicationis suæ rugitu infinitis populis ad Fidem Christi conversis, & jam fundata Ecclesia, vultum Petri magistri sui videre desiderans, & ire Romam, populum occulte dimittere satagebat. Sed Dei intuitu vociferante populo, & omni turba Pasto-

rem

rem petente, B. Hermagoras iter cum B. Marco arripiens Romam pervenit, & a B. Petro baculum accipiens Pontificatus, & velamen sacrum suscipiens, Proto-Episcopus Provinciæ Italiæ ordinatur, & super omnes Ecclesias Italiæ primatum obtinet. Et reversus ad Urbem Aquilejam, Ecclesiam suam miro componens moderamine, Seniores, & Levitas ordinavit, quos ad Civitates alias transmittebat. Tandem xx. annorum ab ipsius ordinatione decurso curriculo, omissis ejus sacris operibus, & miraculis gloriosis, quæ in ipsius Legenda declarantur, sub Sevasto Præside in prædicta Urbe Aquilejensi, Nerone Monarchiam gubernante, per diversa tormentorum genera cum S. Fortunato Diacono suo decollatus, Aquilejensem Ecclesiam sacro Martyrio decoravit, præmittens ad palmam nobiles sacratissimas Virgines Husoniam, Dorotheam, Teclam, & Herasmam, quas propriis manibus baptizavit. Hæ Virgines post Christi Passionem primo per Martyrii palmam immaculato Agno sua corpora tradiderunt, quæ in Ecclesia Aquilejensi quotidie gloriosis coruscant miraculis, & hujus S. Præsulis precibus Aquilejensis provincia est ab invasione Dæmonum liberata, nec aliquis de hac Provincia, ubicumque fuerit, a Dæmone vexari potest, nec periclitari morsibus scorpionum.

Huic Beatissimo Præsuli successit B. Hilarius Patriarcha, qui sibi commissum populum in Fide Christi verbo confortans, & opere, expletis ordinationis suæ x. annis sub Numeriano Principe una cum Taciano Archidiacono suo, & aliis tribus SSS. Dionysio, Hilario, & Felice, bonum certamen certantes cursum gloriosum Martyrio consummarunt. Hilario successit Grisogomas Patriarcha, qui completis annis x. suæ ordinationis, mirifice protexit, & rexit Ecclesiam suam; postea in pace vitam in Domino consummavit. Grisogomæ successit Theodorus Patriarcha, qui plenus bonis operibus ix. annos ordinationis suæ mirificus pugnator pro Fidei Catholicæ nomine in pace migravit ad Christum. Grisogonus Patriarcha sedit annos xii. Agapetus

petus Patriarcha ſedit annos xv. Valerianus Patriarcha ſedit annos xviii. Benedictus Patriarcha ſedit annos xxv. Hi omnes quatuor, licet ſub magnis Infidelium perſequutionibus, Fidelium tamen auxerunt Eccleſiam eorum ſacris precibus, prædicationibus, moribus, & exemplis. Poſt hos ſupraſcriptos ſucceſſit B. Cromatius Patriarcha Doctor mirificus, contemporaneus egregii, & primi Doctoris B. Hieronymi, quem Cromatium idem Hieronymus natus in Oppido Stridonis in Dominio Eccleſiæ Aquilejenſis ſito, inter viros illuſtres commemorat. Et in quadam Epiſtola ſcripſit Domino ſuo Cromatio beatiſſimo Epiſcopo Aquilejenſi Doctor eximius, qui librum de Hiſtoria ſcholaſtica compoſuit, & multos alios de Græco in Latinum, & Hebraico tranſtulit. Fuit hujus tempore Rufinus Presbyter Aquilejenſis, qui & multas epiſtolas direxit Hieronymo, & Hieronymus ipſi. Sedit autem annos XVIII. & plenus bonis moribus in Chriſto quievit. Cromatio defuncto ſucceſſit Auguſtinus Patriarcha, qui poſt annos XVIII. ab ordinatione ſua, aucto populo Dei, in pace æterna quievit. Adelphus Patriarcha ſedit annos IX. Maximianus Patriarcha ſedit annos XX. Januarius Patriarcha ſedit annos VIII. Secundus Patriarcha ſedit annos III. De iſtis quatuor nihil reperitur propter Schiſma, & perſequutionem Infidelium. Niceta Patriarcha ſedit annos XXXII. cujus tempore regnante ſecundo Theodoſio Auguſto circa annos Domini CDXXV. Attila flagellum Dei cupiens ſibi Romanum Imperium ſubjugare, & debellatus a Romanis, quibus adhærebant fere omnes populi Occidentales, ubi occiſa ſunt CLXXX. millia hominum, reverſus in Pannoniam, & reaſſumtis viribus, iterum intravit Italiam. Et primo veniens in Forum Julii deſtruxit omnes munitiones, & fortilicia ejus, & poſtea Caſtrum Forjulienſe, quod nunc Civitas Auſtriæ appellatur. Et obſedit Urbem Aquilejam tribus annis, & collem, ubi nunc eſt Caſtrum Utini, pro ſui tuitione manualiter fieri fecit. Tandem peccatis exigentibus poſt trium annorum obſedionem, infra

quod

quod tempus multa millia hominum Aquilejæ occisa sunt, Aquilejam cepit, & destruxit, dictum Nicetam Patriarcham inhumaniter jugulando. Deinde ad partes alias Italiæ progrediens Civitatem Concordiam, Altinum prope Tervisium, Opitergium, Patavium, & alias multas delevit Civitates. Attamen precibus B. Leonis Papæ Primi idem Attila judicio Dei extinctus est. Post Attilæ necem sedit in Aquilejensi Sede Marcellianus Patriarcha annos XXVIII. Hujus tempore Zenon Romanus fastigium gubernabat. Odoacer Ruthonorum Dux, occiso quodam Augustulo, qui Romanum Imperium invadere præsumserat, Romam ingreditur, & totius Italiæ per XIII. annos obtinuit Principatum. Quem Theodoricus Rex Gothorum ad Italiam properans, cui dictus Odoacer occurrit cum innumerabili exercitu, juxta Aquilejam, & in campis Uberinis debellavit. Post Marcellianum Marcellinus in Sede instituitur Patriarchali, quam rexit Annos XV. & VI. menses. Et non modico tempore Anastasii Augusti reformavit Ecclesiam suam, videlicet Urbem Aquilejensem, quam propter invasionem, & destructionem Attilæ invenit plurimum deformatam, & quasi totaliter destructam, & ibi quasi nemine permanente.

Post Marcellinum sedit Stephanus Patriarcha in Aquilejensi Sede annos XV. Hic sub Justino Christianissimo Imperatore, & Theodorico regnante in Italia, qui erat Ariana infectus Hæresi, & Arianos protegebat, multa pro Fide Catholica perpessus est. Sed, Christo protegente, non solum Ecclesiam, verum etiam totam Provinciam a peste liberavit, & mirifice rexit Ecclesiam suam.

Maxentius Patriarcha sedit annos IV. menses V.

Macedonius Patriarcha vir clarus, & pius successit Stephano, qui Justiniani Augusti assumtus temporibus, vitam ducens laudabilem, & Provinciam Italiæ peragrans, fratres mirabiliter in Christo confortabat, & alebat, Tandem post annos XXVI. ab ordinatione sua felici cum pace in Domino requievit.

Huic

Huic successit Paulus gloriosus Antistes tempore Justini Imperatoris. Ejus tempore Longobardi Narsetis Patricii ductu Italiam intraverunt, quorum Historiam Paulus Historiographus, qui fuit natione Civitatensis, diligentius scribit. Et dicti Longobardi primo Forum Julii intrantes, Civitatem Austriam, quæ tunc Castrum Forliviense dicebatur, depopulati sunt, & totaliter destruxerunt. Qualiter autem, & quomodo, & quid de Ducissa, & filiis, & filiabus accidit, & in cujus ductu Longobardi Italiam intraverunt, ipsa declarat Historia. Hic Paulus Patriarcha timore dictorum Longobardorum ductus, cum thesauro, & reliquiis Ecclesiæ ad Gradensem Insulam se contulit, quam novam Aquilejam appellavit, & ibi XII. sui Pontificatus annum finivit in Domino in prædicta sua Civitate nova.

Probinus Patriarcha Paulo successit, qui anno uno apud Gradum vitam finivit. De ipso nihil invenitur, nec dicitur, quia parum vixit, & ibi quiescit.

Helias Patriarcha sedit annos XXII. Hic quia tria capitula Chalcedonensis Concilii suscipere noluit, tamquam Hæreticus reprobatus est. Sed Pelagius Papa Secundus eidem misit Epistolam satis utilem, quam B. Gregorius, dum adhuc esset Cardinalis scripsit. Tunc Helias Patriarcha ab errore revocatus, de prædicti Papæ Pelagii consensu XX. Episcoporum Synodum convocavit, & Gradensem Insulam, quæ, ut prædicitur, nova Aquileja vocata fuit, totius Venetiæ etiam Metropolim constituit. Ad quem Heraclius Augustus, devotione ductus, B. Marci Sedem, quam dudum Helena mater Constantini tulerat de Alexandria, Aquilejam direxit, & ibi hactenus veneratur apud B. Hermagoræ Sedem, ubi primo prædicaverat verbum Christi. Venetiæ quippe duæ sunt. Prima est illa, quæ in antiquis Historiis continetur, quæ a Pannoniæ termino usque ad flumen Danubii extenditur, cujus Aquileja, olim Civitas maxima, caput est. Secunda est Venetia, quæ apud Insulas maris Hadriatici ex collectione populorum

lorum propter rabiem Attilæ, deinde Longobardorum, infra aquas, & paludes maris fundata est.

Severus Patriarcha successit Heliæ apud Aquilejam novam, & annos XV. menses VI. sedit, quem Smaragdus Patricius, nolentem Ravennati Episcopo hærere, cum tribus Episcopis de Grado violenter abstrahens eum, injuria Ravennam duxit, compellens dictum Severum Ravennati Episcopo in tribus damnationis Capitulis adhærere. Sed justo judicio Dei Smaragdus Patricius a Dæmone correptus, Constantinopolim remeavit. Severus vero, expleto anno uno, ad Gradum cum tribus Coepiscopis rediens, non est receptus a populis. Nec illi voluerunt alii Episcopi communicare, quia errore Ravennati Episcopo communicaverat. Sed convocata Synodo X. Episcoporum in Mariano idem Severus, dato erroris sui libello, a fratribus benigne in Patriarcham receptus est. Ipsi autem, qui dictæ Synodo interfuerunt, fuerunt Petrus de Altino, Clarissimus de Sablone, Angelus Tridentinus, Junior Veronensis, Horatius Vicentinus, Laurentius Bellunensis, Rusticus Tervisinus, Folcherius Feltrensis, Angelus Cenetensis, Maxentius Juliensis, & Hadrianus Polensis. Hujus etiam tempore, sæviente multitudine Longobardorum, & imperante Mauritio Augusto, fames maxima, & mortalitas per universam Italiam, ac clades maxima perpessa fuit.

Post obitum Severi Patriarchæ Joannes Abbas cum consensu Regis & Agislufi Duci Forjuliensis in Patriarcham in veteri Aquileja ordinatur. In Grado quoque Candianus caput Schismatis a Romanis instituitur. Candiano defuncto apud Gradum, Epiphanius non sine schismate ordinatur, & ex tunc incipit appellari Patriarcha Gradensis. Qui Epiphanius erat primus Notariorum Imperialium Romanorum.

Martianus Patriarcha sedit annos VIII.

Fortunatus Patriarcha sedit annos XIII.

Johannes Patriarcha sedit annos X.

Petrus Patriarcha sedit annos X. & nota, quod a Seve-

Severo Patriarcha usque ad Callistum, qui sequitur, Patriarchæ propter incursionem Romanorum non audebant stare in Aquileja; sed habitationem sibi elegerant in Cormono.

Serenus Patriarcha sedit annum unum, de quo nihil reperitur.

Sublato itaque Patriarcha Sereno, successit Callistus vir egregius, & Ecclesiæ Tarvisinæ Archidiaconus, qui adjurante Luitprando Longobardorum Rege, regimen Aquilejensis Ecclesiæ suscepit. Hoc vero tempore in Castro Foro-Juliano, quod nunc Civitas Austriæ appellatur, Peno Dux præerat. Callistus vero Cormoni habitabat de consensu, & voluntate Ducum priorum. Federicus in Castro Foro-Juliano Episcopus instituitur. Ipso decedente Amator subrogatur. Callistus vero, qui erat vir nobilitate conspicuus, videns quod in Diœcesi sua cum Duce suo, & Nobilibus Amator Episcopus habitaret, & ipse Callistus rurali vulgo sociatus vitam duceret, valde sibi displicuit. Et ad prædictam Civitatem veniens, Amatorem de Foro Julii expulit, & domum ejus sibi habitationem statuit. Qua de causa inter Callistum Patriarcham, & Penonem Ducem discordia orta est. Quid ultra? Dux Peno contra Patriarcham cum multis Longobardis Nobilibus consilium iniit, & apprehensum eumdem Patriarcham ad Castellum Pusini super mare, ut submergeretur, duxit, quod tamen Deo prohibente non fecit. Attamen ipsum diebus multis, tribulationibus, pane, & aqua in carcere fovit. Quod Rex Luitprandus audiens, contra Penonem Ducem in iram exarsit, & de Ducatu deposuit. Peno timore Regio in Sclavorum patriam cum suis fugit. Rex vero dicti Penonis filios, & omnes, qui Penoni hæserant, longo tempore carceribus cruciavit. Posthæc Patriarcha de Carceribus ad Civitatem rediens, ibi Ecclesiam, & Baptisterium S. Johannis, & Palatium Patriarchale construxit, & Regis suffultus favore Ecclesiam strenue gubernavit. Postea, XL. suæ ordinationis anno exacto, in pace quievit. Cujus corpus in prædicta,

dicta, quam construxit, Ecclesia, quiescit in Domino.

Signoaldus Patriarcha de genere Grimoaldi Regis sedit annos XLII. natione Civitatensis. Ibi habitavit, & Ecclesiam suam prospere, & laudabiliter gubernavit.

S. Paulinus Patriarcha sedit annos XV. Qui finito jam Regno Longobardorum, & in captivitate ducto Desiderio Rege ipsorum una cum uxore, & filiis, ad gloriosum Carolum Magnum Imperatorem pro juribus Ecclesiæ ampliandis profectus est. Et vir iste miræ sanctitatis ab Imperatore Carolo multa privilegia obtinuit. Et rediens in Civitate Austriæ multis in vita miraculis claruit, & in morte. Ejus corpus in prædicta Ecclesia Civitatensi quiescit, & veneratur.

Ursus Patriarcha sedit annos V. Hic primus cœpit proclamationem facere de Grado Insula plebe Synodali jure subjecta Aquilejensi Ecclesiæ. In qua quidam Venerius Patriarchæ nomen irrationabiliter usurpavit.

Maxentius Patriarcha sedit annos XXVI. Ad ejus preces B. Augustinus Papa, & Ludovicus Imperator ad instantiam Lotharii filii dicti Ludovici universalem Synodum Mantuæ celebraverunt, in qua eodem Maxentio reclamante, quod quidam Venerius falso sibi nomen Patriarchæ in Grado Insula plebis Aquilejensis usurpaverat, & retracta hujusmodi causa per dictam Synodum declaratum fuit, Gradum esse plebem Synodali jure Ecclesiæ Aquilejensi subjectam.

Et deposito Venerio supradicto, Andreas Patriarcha sedit annos X. Hic similiter de Grado plebe Aquilejensi ad Lotharium Imperatorem proclamavit; qui Lotharius una cum Papa Leone vocato Concilio, iterum adjudicavit Gradensem plebem esse Aquilejensis Ecclesiæ.

Venantius Patriarcha sedit annos III.

Theotmanius Patriarcha sedit annos XXI. Hic supradicto Lothario, & Domino Ludovico ejus filio regnantibus, Ecclesiam mirabiliter gubernavit, & pro Gradensi plebe reclamavit, & a Ludovico obtinuit Papiam.

Lupus Patriarcha sedit annos III. Hic similiter a prædicto

dicto Ludovico in protectione susceptus est, & coram dicto Papa, & ipso definitum est, Insulam Gradensem esse Aquilejensis Ecclesiæ.

Walpertus Patriarcha sedit annis XXVII. Hic Carolum Secundum filium Ludovici, & coronatum a Papa Joanne VIII. Romam sociavit, & ab ipso multas gratias impetravit.

Federicus Patriarcha sedit annos LIII. Hic mirabiliter auxit, & protexit Ecclesiam. Hujus tempore imperante Carolo III. magna Ungarorum gens a Syria egressa in quandam Provinciam, quæ adjungitur fimbriis Ecclesiæ Aquilejensis, primitus venit, & ibi habitare cœpit; erat enim gens crudelissima, carnem comedens, & sanguinem bibens pro potu. Quos dictus Federicus Patriarcha repressit, & longius fugavit, reddens pacem Hesperiæ, quæ est caput Ecclesiæ. Corpus ipsius in Aquileja quiescit, & supra ejus sepulcrum scriptum est tale Epitaphium.

Conditur inferius nitido Patriarcha lapillo,
Præclarum nomen cui Federicus erat.
Pannoniæ rabiem magno moderamine pressit,
Et pacem afflictæ contulit Italiæ.
Egregius Pastor mittens dum pasceret agnos
Semper utrique gregi pabula lecta dedit.
Annosæ ætatis post cursum in luce quiescit
Et cumulata capit præmia pro meritis.
Hunc Deus omnipotens proprio ditavit honore,
Post hæc Angelicis associando choris.
Tu quoque Præcursor Christi Baptista Johannes
Pontifici meritis auxiliare tuis.

Leo Patriarcha sedit annos XXII. Hic quia pro libertate Ecclesiæ suæ laborabat, a quodam Roaldo Longobardorum Duce Fori Julii occisus est. Propter quod omnia ejus bona per sententiam Principum confiscata fuerunt, ut inferius apparebit.

Ursus Patriarcha sedit annos XXIII. Hic tempore Berengarii secundi totus Deo deditus multas graves solicitunes pro Ecclesia sua Aquilejensi pertulit. In Civitate

Auſtriæ felici pace quievit, & hoc fuit circa annos Domini DCCCCXXXI.

Lupus Patriarcha, ſicut in antiquis Chronicis legitur, ſedit annos LVI. Sed non ita in autenticis privilegiis reperitur, quum Berengarius Tertius, qui fuit ſub annis Domini DCCCCXXXI. multa privilegia conceſſerit Patriarchæ Hengelfredo; nec non Rodaldus ſucceſſor ſuus largas ſibi fecerit donationes, & Eccleſiæ ſuæ prædictæ.

Hengelfredus Patriarcha ſedit, ut dicitur, annos LVII. Sed non certe reperitur. Verum Berengarius, & Otto primus multa privilegia Eccleſiæ Aquilejenſi tempore iſtius contulerunt, & quod valde bonus, & utilis fuit Eccleſiæ ſuæ, bene reperitur.

Rodaldus almificus Patriarcha nobilis genere, ſed nobilior opere, qui pro exaltatione Eccleſiæ ſuæ ubique laborans ab Ottone Secundo, & Tertio plura privilegia, & plures gratias, & largitiones obtinuit. Et inter cetera quidquid quidam Longobardus nomine Rodaldus, qui Leonem Patriarcham interfecerat, de quo ſupra mentionem feci, habebat inter Placum, & Liquentiam, Eccleſiæ Aquilejenſi tradidit. Sed quantum ſederit, pro vero non reperitur. Sed fertur, quod annos LVIII. ſederit.

Johannes Patriarcha ſucceſſit eidem, ſeditque annos XIX. Hic ab Ottone Tertio plura privilegia habuit, & de Grado Inſula in qua erat quidam Patriarcha Urſo nomine coram Henrico Primo Imperatore contra eum reclamavit. Qui Henricus Secundus appellabatur. Ejus uxor fuit Beata Cunegundis.

Popo Patriarcha venerabilis ſedit annos XXIV. Hic Cancellarius magni Conradi Imperatoris, qui totum orbem pacificavit, in Patriarcham aſſumtus eſt. Hic glorioſus Antiſtes Templum Aquilejenſis Eccleſiæ de novo conſtruxit, quod una cum B. Papa Johanne XVIII., & aliis S. R. E. Cardinalibus, & aliis Epiſcopis Suffraganeis ſuis conſecravit. Monaſterium B. Mariæ Virginis extra muros Aquilejæ conſtruxit. Et tam Templum, quam ipſum Monaſterium mirabiliter dotavit, innumerabilia-

bilia-

biliaque bona ipsi Ecclesiæ fecit, quæ brevitatis causa omitto. Hic apud prædictum Papam Johannem, & Conradum Imperatorem fieri Romæ Concilium procuravit, & demum Ravennæ, in quorum itaque proclamatione facta de Grado plebe sua, & citato Ursone, qui sibi falso nomen Patriarchatus assumserat, & contumaciter in dictis duobus Conciliis non comparente, dicta Insula adjudicata est, plebem esse Aquilejensis Ecclesiæ, & falso Patriarchatus titulum sibi inesse. Et ipso procurante armata manu omnes Thesauri Ecclesiæ Aquilejensis, qui portati erant per Dominum Paulinum olim Patriarcham, reportati sunt per dictum Dominum Poponem. Et huic Patriarchæ B. Papa Johannes super XVI. Episcopatus potestatem contribuit una cum præfato Imperatore, & alia multa privilegia, & largitiones Ecclesiæ Aquilejensi, quæ nimis prolixum esset narrare per singula. Cujus corpus jacet in Ecclesia Aquilejensi in medio. Et vere in medio Ecclesiæ aperuit Dominus os ejus. In ejus sepulcro marmoreo hi versus ab omnibus leguntur.

Popo Sacerdotum lux, & decus Ecclesiarum,
Gloria Romani spes simul Imperii.
Constrictus vinclis humanæ conditionis
Ecce sub hac mole fit cinis ex homine.
Instruit ut Paulus, fuit omnibus omnia factus,
Ferre studens Domino dupla talenta suo.
Hic locus est testis, quibus ille resplenduit actis,
Ille quidem donis, moribus atque probis.
Exornans istam Christo fundaverat aulam,
Ultima principio quem dedit hora suo.
In libra Phœbo duodena parce beato
Agne Dei, Domino, te rogo, parce meo.

Hebenardus Patriarcha huic successit. Dies vero ordinationis suæ fuerunt anni V. Et de ipso nihil dicendum invenitur.

Gotpoldus Patriarcha successit huic, & sedit annos XVII. Qui etiam de Grado Insula proclamationem maximam fecit. Cui tam per Alexandrum Papam Secun-

ſpoliaque infinita tulit, & Romagnam prædictam deſtruxit, & tandem ſub annis Domini MCCXCI. pax inter partes facta fuit, & publice proclamata. Mortuus autem prefatus Raimundus Patriarcha in Caſtro Utini, & Aquilejam portatus, ac ſepultus in Capella S. Ambroſii, quam ipſe conſtrui, ac fabricari fecit anno Domini MCCXCIX. Ejus anima requieſcat in pace.

Petrus Patriarcha ſedit annum unum, & menſes VII. dies XXVI. Hic licet magnanimus fuerit, & antiquus dierum, ideo modicum ſupervixit. Ejus corpus in Utino jacet in Capella S. Marię Caſtri Utini. Defunctus eſt anno Domini MCCCI. De cujus geſtis nulla fit mentio.

Ottobonus Patriarcha ſedit annos XIII. menſes II. dies XVII. Qui dum eſſet Epiſcopus Paduanus, creatus eſt Patriarcha a Sede Apoſtolica, videlicet per Dominum Bonifacium Octavum ſub annis Domini MCCCII. Hic mirabiliter regere cœpit. Multa ſolvit debita Romanę Curię. Salinas Mariani cœpit, & fecit. Cœpitque Caſtrum Manzani, & pretio, antequam veniret in Sede, emit Salicetum. Hujus tempore ſub annis Domini MCCCV. Ricardus de Camino cum exercitu ſuo valido expugnavit Spinginbergum, ipſumque habuit ſub certis pactis anno Domini MCCCII. Idem Patriarcha cœpit Caſtrum Budii fortiſſimum & bene muratum, gentibuſque, & victualiis munitum; ſed juſto Dei judicio mirabiliter captum eſt, de gentibus ipſius Domini Patriarchę nemine lęſo; omnes autem intrinſeci captivi facti ſunt ſub ipſius Domini Patriarchę miſericordia; & relicto vexillo S. Eccleſiæ Aquilejenſis in Caſtro prędicto, ad propria cum gaudio, & honore eſt reverſus. Eodem autem anno obſedit Caſtrum de Urimiſporch, ipſumque obtinuit. Eodemque anno Sacilum recuperavit detentum per dictum Dominum Ricardum de Camino. Inſuper anno Domini MCCCIX. idem Dominus Patriarcha deſtruxit, & ruinavit muros Terræ Venzoni; necnon eodem anno Ricardus de Camino fuit debellatus in Utino, & unus Nobilis de Spin-

gin-

ginbergo fuit interfectus gladio, ac multi alii Nobiles rebelles præfato Domino Patriarchæ tunc captivati sunt. Et multa alia fecit, quæ causa brevitatis heic omittuntur. Postremo currentibus annis Domini MCCCXIV. præfatus Patriarcha pergens ad Curiam Romanam, quadam oppressus infirmitate in loco, qui dicitur Arquà Comitatus Placentiæ, Domino tradidit spiritum.

Castonus de la Turre Mediolanensis Diœcesis eidem successit, seditque in Patriarchali Sede annum unum, menses VII. dies XX. & non pervenit ad Ecclesiam suam; sed veniendo de Curia migravit ad Christum in Florentia, & ibi requiescit in pace.

Paganus Patriarcha successit eidem, seditque in Patriarchali Sede annos XII. menses VIII. diem unum. De cujus gestis non fit mentio in præsenti. Bavarus Dux Bavariæ, & Marchio Bramburgensis a tribus eligentibus ad Imperium Laicis, duobus vero Clericis Archiepiscopis non consentientibus, cupiens Imperium usurpare sub anno Domini MCCCXXXI. manu forti, & animo ingenioso, & cauto intravit Italiam, Romæ cupiens coronari ex quorumdam sapientum sibi adhærentium consilio tempore Johannis Papæ. Iste Bavarus in Romana Civitate Papam fieri fecit, & Cardinales, & multos Prælatos, contraque Apostolicam Sedem multa gessit, & ab ipsis Coronam accepit Imperii contra Ecclesiæ voluntatem, a quo Papa tunc depositus, & excommunicatus fuit, & similiter a Papa Benedicto, & Clemente VI. subsequentibus. Tandem ab Ecclesia misericordiam consequutus tempore dicti Clementis, ab excommunicatione solutus, migravit apud Ducatum suum. Cui successit quidam ejus filius, cum quo Carolus Rex Bohemiæ multas habuit guerras propter Comitatum Tirolensem in dotem per præfatum Bavarum datum cuidam suæ filiæ in matrimonium traditæ cuidam Domino Joanni fratri . . . . in uxorem postmodum a viro suo separatam nonnullis legitimis occasionibus. Idem Carolus habuit contra eum bella maxima, & obtinuit. Tandem bonis meritis a Christo exigentibus

bus

bus præfatus Carolus , faventibus sibi Papa Clemente prædicto , & Domino Philippo Rege Francorum ab eligentibus ad Imperium communiter est electus Imperator .

Isto autem tempore electo Carolo , & confirmatione a præfato Clemente Papa, & Romana Ecclesia comprobata, & roborata, in S. Aquilejensis Ecclesiæ Sede residebat tunc Bertrandus Patriarcha de S. Ginesio Doctor miri Juris, vir bonus, pius, sanctus, & justus , cujus opera , & probitates multæ fuerunt , quæ alibi in loco suo statum sibi clare vendicant. Cui Carolo adeo tamquam pater erat una cum filio intime dilectus , de quo Patriarcha multa erunt scribenda , quæ in præsenti capitulo brevitatis causa omittuntur . Idem autem Patriarcha sedit annos XV. menses XI. dies VI. Qui crudeliter ab inimicis Ecclesiæ apud Villam , quæ est in Richiniult juxta Tulmentum ipso a Sacilo cum suis militibus , & gentibus Utinum veniente , gladio penetrante occisus est , & Utinum ductus , apud cujus sepulcrum marmoreum historiatum in S. Maria Majori in Utino per eum a Domino miracula fiunt. Et, ut supra prædici debebat , fabricavit Sacilum ex muris Cavolani acquisiti per eum, & recuperavit Cadubrium armata , & potenti manu , quod tenebat Ecclesiæ suæ violenter quidam Heugilinarus, & alia infinita notabilia , & bona opera fecit, dum in hac luce, & regimine vixit , sed in opusculo hoc nihil ad præsens tractatur.

In cujus S. Sede successit Nicolaus Patriarcha supradicti Caroli IV. Imperatoris frater anno XI. Clementis Papæ VI. videlicet MCCCL. Hic Patriarcha contra Johannem Franciscum de Castello perpeti rebellem suum , & Ecclesiæ Aquilejensis , victoriam una cum Nobilibus, & Communitatibus suis, & D. Marinardo Comite Goriciæ sibi favente obtinuit . Castrum Tercenti obsedit, ac funditus diruit, consumtis omnibus , & fossatis planatis , ac duobus ejus filiis captis , postmodum liberatis. Castra eorum Tercenti perierunt , & ibi rebelles Ecclesiæ persistentes , per ipsum Patriarcham obsessa

sa sunt, & capta, ac funditus diruta, uno ipsorum fratrum capto, & perpetuo carceribus mancipato. Postquam idem Johannes Franciscus capitur, mirifice in Civitate Caprularum per nonnullos Furlanos, & ligatus Utinum ductus est, & ibidem a filio primitus sententiato, & a multis aliis capitalem subiit sententiam. Cujus caput in hasta, per medium diem in platea omnibus ipsum videre volentibus permansit. Hic quoque Patriarcha similiter alias multas contra rebelles Aquilejensis Ecclesiæ obtinuit victorias, multosque per judicium decollari fecit. Castellasium, & alia loca funditus dirupta sunt. Et heic brevitatis causa omittuntur, quæ alibi declarabuntur. Hic etiam Patriarcha decoravit Cameram, quæ omnia, sive eorum major pars, restaurata sunt post ejus mortem. Hic tulit brachium S. Viti de Marano, quod etiam post ejus obitum recuperaverunt. Et tandem divino judicio ipso eunte, vel fugiente con Reliquiis, & rebus antedictis in Civitatem Feltrensem, seu Bellunensem, crudeliter, & turpiter extremum vitæ suæ clausit diem. Et sic, ut prædicitur, supradicta omnia fuerunt restaurata. Multa etiam alia dicenda forent, quæ nunc omittenda duximus. Cujus corpus sepultum fuit in Ecclesia Majori B. Mariæ de Utino.

FINIS.

S. MAXIMI TAURINATIS Episcopi SERMONES.

IN SERMONES SANCTI MAXIMI Episcopi TAURINENSIS.

Codex MS. unde hos Sancti Maximi Taurinensis Episcopi Sermones descripsi, est in Ambrosiana Bibliotheca Lit. C. num. 98. Venerandam autem antiquitatem spirat, quippe scriptus mihi videtur ante mille circiter annos. Characteres ad Langobardicam scripturam omnino accedunt, similesque sunt iis, e quibus constat vetustissimus Josephi Codex in Ægyptiaca papyro exaratus, & in eadem Bibliotheca veluti insigne antiquitatis monumentum adservatus. Neque aliter de ipsius Codicis vetustate judicavit Cl. V. Johannes Mabillonius Tom. 1. Par. 2. Musei Italici in Præfat. ad quasdam Homelias ejusdem Sancti Maximi a se primum editas, & partim ex hoc ipso Codice descriptas. Quidquid ibi doctissimus ille vir hanc in rem adnotavit, dignum plane foret, quod heic repeteretur. Sed illuc ego Lectorem dimittens, quod meum erit, heic breviter prodam.

Floruit Maximus Seculo Christianæ Aeræ quincto. Eum ultra An. Ch. 465. vixisse, eruditi non pauci putant, non satis Gennadii Codicibus fidentes, ubi mortuus dicitur ante An. Ch. 423. Leguntur Homiliæ complures inter Opera SS. Ambrosii, & Augustini, quæ tamen S. Maximum auctorem habuere. Neque vero easdem satis hucusque distinxerunt collectores Operum S. Maximi: ad quod tamen & laudata Mabillonii Præfatio, & cura hæc nostra non parum inserviet. Siquidem non modo Sermones multos heic damus, nondum

evulgatos, sed etiam adnotamus, qui jam editi fuerint inter Opera S. Ambrosii, aut ipsius S. Maximi. Porro minime sponderem, singulos Sermones, qui in laudato Codice Ambrosiano leguntur, ad Maximum Taurinatem esse referendos. Mutilus in fronte, in calce, aliisque in locis est Codex, quæ causa forte adferri potest, cur desiderentur clariora documenta de harum Homiliarum Auctore. Præterea sunt quidam illic Sermones, qui expresso nomine tribuuntur *S. Maximo Taurinati Episcopo*, ut in ipsa editione apparebit; ac proinde suspicio ingeritur, ne ceteri, quorum ipse non scribitur Auctor, ad alios Auctores pertineant. Et certe Eruditis non ignotum, consuevisse veteres e diversis Scriptoribus Homilias in unum Codicem congerere, qui *Homiliarius* postea dicebatur, & ad manum erat minus doctis aut Episcopis, aut Sacris Oratoribus, quum ad populum conciones erant habendæ sive in Euangelii explicatione, sive in Sanctorum laudibus exponendis. Et hinc plane factum, ut Sanctis Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, aliisque Ecclesiæ Patribus tot tributæ progressu temporis Homiliæ fuerint, quæ tamen omnes ab ipsis nequaquam prodierant.

Utcumque id sit, non me pœnitet, hæc omnia publici juris fecisse, eaque sub nomine S. Maximi Taurinatis universa produxisse, tum quod aliæ heic Homeliæ habentur, quibus præfixum non fuit Maximi nomen, & nihilominus ad eumdem procul dubio spectant, tum etiam quod eam in omnibus Styli similitudinem deprehendere mihi visus sum, quæ unum eumdemque Scriptorem satis deceat.

Ceterum *Sermo I. in S. Alexandri* multa habet communia ac simillima cum altero Sermone ejusdem argumenti edito inter opera S. Augustini antiquæ editionis: Antea quoque prodierunt Sermo VI. VII. VIII. & IX. *de Sancto Eusebio Martyre Vercellensi*, nempe in Libro, cui titulus: *Antiquorum Patrum Sermones & Epistolæ de S. Eusebio Vercellensi Episcopo, & Martyre, collectæ jussu Joannis Francisci Bonbomii Episcopi Vercellensis, ac impres-*

sa

sæ Mediolani Anno 1581. Isti vero Sermones in nostro Codice recitati dicuntur *Vercellis*, & propterea Auctorem designant, qui in alia, quam in Vercellensi Ecclesia, degeret. Rursus vero quum in margine Codicis ter adnotatum ad eosdem Sermones reperiatur: *Vercellinum se esse ostendit; Nota quod Vercellinus est; Nota quod Vercellinus est iste;* conjecturæ fit locus, S. Maximum, cujus patria ignoratur, Vercellis natum fuisse, si tamen eorum quatuor Sermonum is Auctor est.

Neque sine aliqua animadversione dimittendi Sermones duo, nempe XXXII. & sequens *de Idolis auferendis de propriis possessionibus*. Eorum ope sententia confirmatur arbitrantium, ideo sub primis Imperatoribus Christianis Ethnicos *Paganorum* nomine fuisse notatos, quod eorum Superstitio ex Urbibus eliminata, legibusque Cæsareis interdicta, se in Pagos & rude rusticorum vulgus recepisset, unde ne S. Maximi quidem ætate evelli prorsus potuerat. Ibidem adhuc aspicere erat *Aras ligneas, & Simulacra lapidea, pallentes cespites, mortuos carbones, & Sacrificia*, & lymphaticos rusticos suo sanguine Diis falsis clam, ut puto, litantes. Tu vide Baronium in Notis ad Martyrol. Rom. die 31. Januarii. & Gothofredum in Notis ad Tit. X. Lib. XVI. Cod. Theodos. Memoratur autem in iisdem Sermonibus *Domnedius*, qui nihil aliud erat sermone corrupto illius ætatis, quam *Dominus*. Hac eadem voce usus est non uno in loco S. Paulinus Nolanus, uti animadverti Dissert. XIII. Tom. I. Anecdot. meorum, quo significaret S. Felicem Dominum ac Patronum suum.

SERMONES SANCTI MAXIMI TAURINATIS

Episcopi.

D*Esiderantur priores paginæ.*

SERMO II.

In Pascha.

EXultandum nobis eſt, Fratres, in hac die, quam fecit Dominus, continuata lætitia &c. *eſt editus inter opera Sancti Maximi.*

SERMO III.

De Pascha.

NOn minus etiam nunc lætari debemus, Fratres, quam heſterno lætati ſumus; licet enim præterita tenebroſa nox interceſſerit gaudiis noſtris, eadem nobis tamen dies eſt ſanctitatis; licet tempora diſtinxerit obſcuritas veſpertina, perpeti tamen luce fulget Beatitudo Dominica. Chriſtus enim, qui nos inluminavit heſterno, etiam hodie nos ipſe circumſovet. Nam ſic dicit B. Apoſtolus: *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe eſt.* Ipſe enim nobis dies factus eſt. Ipſe nobis hodie genitus eſt, ſecundum quod ait David ex perſona Dei Patris: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie*, inquit, *genui te*, hoc eſt non quo in die ille genuerit Filium,

lium, ſed quod ipſum Filium velut diem, lucemque genuerit. Ergo cum Chriſtus unigenitus hodie generatur, ut intelligatur in Nativitate Salvatoris non tam hominem natum eſſe, quam lumen, quod fulgeat cunctis, luceat univerſis. *Hodie* autem dicitur, quod velut præſens, & indeficiens lumen cuncta ſæcula perpeti luce contineat, & pro ipſa perpetuitate fulgoris una dies eſſe videtur. Unde ait S. Propheta: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies una*. Una plane dies eſt Chriſtus, quia una eſt in eo divinitatis æternitas. *Hodie* autem vocatur, quod eum nec vetuſta antiquitate ſubterfugiunt, nec futura ignoratione prætereunt. Sed tamquam potentiſſimum lumen cuncta continet, univerſa cognoſcit, & velut in præſenti habens poſſidet omnia. Quia apud eum nec præterita labuntur, nec futura celantur. Quo autem tempore dictum ſit Filio: *Ego hodie genui te*, ſcire debemus, non illo, quo ex Maria Virgine ſecundum carnem natus eſt, neque illo, quo ſecundum divinitatem ex Dei Patris ore proceſſit, ſed illo tempore, quo a mortuis reſurrexit, ſic enim Apoſtolus Paulus ait: *Reſuſcitans Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Recte ergo tunc hodie dicitur, quando de Inferorum tetra nocte ad ſuperos, velut præclarum lumen emicuit. Recte dies dicitur, cujus veritatem Judæorum factio tenebroſa obſcurare non potuit. Nec potuit plane melius, niſi hodie nomen accipere, qui omnibus defunctis & diem reddidit, & ſalutem, qui vetuſtate homines moræ reſolutos hodiernæ vitæ præſentia ſuſcitavit. Lætemur ergo, & exultemus in hac die, in qua nobis Dominus lucem intulit, ſalutem intulit, intulit pacem; pacem, inquam, nobis Chriſtus reſurgens intulit, quia & paſſurus pacem proditori diſcipulorum non negavit, aut quemadmodum complectitur confitentes, qui ſic oſculatus eſt denegantem. Oſculum autem illud Judæ Iſcharioth nolo exiſtimetis a Domino, niſi de caritate datum, & ante ſciebat illum proditorem futurum. Sciebat plane; amoris pignus & ideo non negavit; pietatis

enim genus est non negare extrema oscula perituris, & his, quos diliximus, ultimum persolvisse solatium. Simul etiam ipso dilectionis officio eum voluit emendare, ut admonitus pietate non desereret amantem, non traderet osculantem; atque ideo quasi ad judicium Judæ illud osculum datum est, ut si emendaret, esset pacis vinculum discipulo; si traderet, esset sceleris testimonium proditori. Ait ergo Dominus: *Juda osculo filium hominis tradis?* Ubi est subtilitas factionum, ubi latentes doli? Ecce deprehenditur nequitiæ omne secretum, & proditur proditor, antequam prodat. *Osculo*, inquit, *Filium hominis tradis*, hoc est: amoris pignore vulnus infligis; officio caritatis sanguinem fundis; mortem inrogas pacis indicio. Rogo quæ ista dilectio est? Osculum porrigis, & minaris? Non sunt ista oscula, sed venena, per quæ servus Dominum, Discipulus Magistrum, electus prodit Auctorem.

In Pascha. IV.

VEneranda Passio Salvatoris nostri, atque ab Inferis ejus mirabilis reditus, attestatur, divinam illi, humanamque fuisse substantiam. Quis enim dubitet ineffabiliter eum Filium Dei, filiumque esse hominis, qui potuit & mortem perpeti, & morte devicta semetipsum suscitare de tumulo? Nam suscepta carne de Virgine, ne quam in fide nostræ Confessionis nebulam pateremur, toto prædicationis suæ tempore verum se revelabat Deum, perfectum ostendebat & hominem. Flebat quippe, ut nostro dolore mœrens, sed ut sua virtute potens miseratus cœcorum tenebras, huic necdum formatos faciebat oculos, illi reddebat amissos, navigans cum discipulis suis somno hominis dormiebat in puppi; sed consciæ majestatis imperio insurgentium fluctuum moles, minacesque ventos serena protinus tranquillitate compescuit. Moriturum se, ut temporalis vitæ homo, sæpissime testabatur, sed ut æternus Deus refuso in corpora vitali spiritu ad lucem mortuos redire præcepit.

cepit. Ut filio hominis ingerebantur convicia blasphemantium, sed ut ignara mortalitas inoffensam credendi disceret veritatem, quasi unicum filium suum Pater adloquebatur è cœlo. Si ergo credis, o homo, indigna, quæ pertulit Christus, cur non magis credis miranda quæ præstitit? Ita sane incomprehensibiliter caro in Deo, & in carne Deus, ut neque Deum ab homine passio separaret, neque per hominem Deus humanis passionibus subjaceret. Quod vero adnuntiatur, Filius Dei natus est de Virgine, tanto in miraculo non debet humana fluctuare fragilitas, quia stupendæ huic novitati Deum, cui opus omne possibile est, confitemur auctorem. Beatus namque David omnipotentiam Dei Sancto Spiritu revelante decantat dicens: *Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in Cœlo, & in terra*. Qui ergo fecit, quæ voluit, fecit ut Virgo conciperet. Qui fecit omnia, quæ voluit, fecit quod nobis omnibus subveniret. *Omnia*, inquit, *quæ voluit, Deus fecit*. Voluit ex nihilo formare mundum? fuit ei tam magni operis effectus in Verbo. Voluit hominem figurare de pulvere? virtus tantæ non defuit voluntati. Voluit inter ipsa Cœli, terræque primordia virili de corpore educere feminam? E latere mox Adæ mater humani generis Eva processit. Voluit de viro, & femina utriusque sexus homines nasci? Lege voluntatis ejus replevit orbem jussa fœcunditas. Voluit, ut dictum est, Virginem parere? Et obumbratione majestatis ejus nullo Virginei pudoris damno Christus processit ex Maria. Et inde est, quod Philosophi gentium, prudentesque mundi, qui omnia sibi propria volunt disceptatione constare, dum terreno sensu divina discutiunt, sapientia sua desipientes, ad plenitudinem non perveniunt veritatis. Qui hanc igitur desudant habere doctrinam, ut quod ipsi advertere nequeunt, superbo tumentes Spiritu, Deum aut non recte velle, aut non posse contendunt. *Qui*, ut ait Apostolus, *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*. Et iterum: *Evanuerunt in cogitationibus suis*. Quis enim ita demens in illo conceptu virgineo semen quærat humanum, ubi agitur

Cœle-

Cœleste mysterium? Quanta vecordia in illo nascendi genere generalitas mortalis obtenditur, ubi opere omnipotentis pro vita pereuntium partus salutaris efflo- ruit? Sed fortasse perfidus occurrit, & dicit: Nemo unquam ita est natus. Nemo revera, quia nullius præter hanc caro unita cum Deo est. Quid incassum disputas? Quid retractas? Qui solus dedit hominibus nasci per conjuges, solus voluit prodire de Virgine. Mirabiliter natus est Christus; & obstinatione perfida non credis Deum? Quid faceres, si communi esset lege conceptus? Inanis ergo, & stulta causatio est, nullum ita fuisse natum, quia Sacramentum fœcundæ Virginis, quod unicum Dei est opus. Neque habere ante se potuit, nec post se reliquit exemplum. Unde & tu, Frater, si sapienter incomprehensa rimaris, quod singulare pervides, crede divinum. Denique cum a Discipulis suis, quis esset, & ab hominibus crederetur, Salvator inquireret: Beatissimus tum Petrus sacrata voce respondit, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Ecce, Fratres, loquitur lingua hominis, quod cor hominis ignorabat. Loquitur Apostolus, quod non meditatione didicit, sed revelatione cognovit. Unde enim sciret terrenus mortalisque homo incomprehensæ generationis arcanum, nisi & Pater ipse, cujus verus erat Filius, non revelasset e cœlo? ut ait ad illum Dominus: *Beatus es Simon Bar Jona, quia non Caro, & sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in Cælis*. Quod enim præcipuus Apostolorum Redemptorem omnium vivi Dei Filium dicit, paternæ in eo Deitatis substantiam confitetur; quod eumdem Christum pronunciat, materni inesse corporis adserit veritatem. Sic revera Beatissimus Petrus utramque in Christo naturam sub una est appellatione complexus, ut ineffabilis mysterii Sacramentum brevissimo sermone delibans, neque geminata divideret, neque unita confunderet. Ut autem plenius adverteremus in Salvatore nostro neque a Deo hominem, neque Deum ab homine separandum, ait gloriosissimus Magister Fidei Paulus Apostolus, dicens: *Misit Deus Filium*

lium suum factum ex muliere, factum sub lege. Non utique factus est Filius Dei, ut mitteretur, sed ad id quod missus est, Filius factus est hominis. Salva enim divinæ proprietate naturæ, naturam in se suscepit humanam, non facta confusione, sed unitione perfecta. *Misit*, inquit, *Deus Filium suum*, misit non creaturali conditione subjectum, sed naturali caritate concordem. Ipse enim Dominus ait: *Ego, & Pater unum sumus*. Qui ergo unum sunt, non possunt a se invicem impari potestate distare. Misit Pater proprium Filium, non a se discedentem, sed ad nos nostra pro salute venientem. Venit autem Dei Filius, non ut mittentis tantum Patris exsequeretur imperium, sed ut communem perageret voluntatem. Venit Dei Filius, non qui de loco transiret ad locum, sed in loco, quo vellet, propositi sui munus impleret. Et revera Deus, cum ubique semper sit, atque omnia gremio suæ majestatis includat, illuc tamen ire, aut venire creditur, ubi se revelare dignatur. Hæc, Frater, nisi Fide sequaris, nulla mundani sensus ratione concipies. Tantum enim abest ab operibus Dei intelligentia mortalis ingenii, quantum distare potest ab æternitate mortalitas. Sed optima homini ratio est, ut in his, quæ non potest mente complecti, cedat mentis Auctori. Scire ergo debemus, Karissimi, quia Nativitatem, Passionemque Dominicam non nobis ejus dedit conditio, sed voluntas. Nostri nimirum exegit causa negotii, Christum Dominum pudorem ventris non declinare feminei, sordentem pannis infantiam perpeti, crescentem per moras expectare pueritiam, convalescentem temporibus agere juventutem, & cum omni patientia Judaici furoris injurias, cædesque perferre. Neque vero superfluæ voluntatis erat, aut vacuæ, ut Dei Filius per tantarum dedecora passionum materia humanitatis moreretur in terris, qui cœlesti in Regno paterna Deitate vivebat, nisi nasci illum remedii nostri necessitas flagitasset. Quid Deus ad carnem? Quid immaculatus ad Crucem? Quid æternus ad mortem? Essent quidem Dei Filio verba ac vulnera omniaque inlata Pas-

sionis

sionis opprobria reputanda; nisi universa, quæ passus est, Resurrectio mox secuta curasset. Quis ergo ita desipiens retractando decolorare præsumat, quod Crucifixus est Christus, qui tot virtutibus, tantisque miraculis mirabilior factus est sua passione? Quis illi triduanam exprobrare audeat sepulturam, cujus cum sempiterno Patre permanens æternitas prædicatur? Immo quis non toto stupore miretur Inferna illum fuisse dignatum, qui virtute propria & ad vitam potuit redire post mortem, & Cœlum non dubitavit ascendere post Inferos? Et ideo Fratres illud unum nobis est salutare, ut metientes nos metipsos, & pectoris nostri angusta, quæ ultra modum se efferunt, castigantes, veri Dei, cujus potentiam probamus, sequamur in omnibus voluntatem, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

In Pascha.

IN Paschali Festivitate, Fratres Karissimi, qua Dominum nostrum rediisse ab Inferis exultamus, est nobis gaudium commune cum Cœlo. Lætantur enim Angeli, inimicum Domini sui, & Tyrannum cœlestis imperii, legitimi; atque æterni Regis virtute deletum. Mortales etiam, infirmique homines gloriamur munere Dominicæ Passionis, Diaboli tandem servitute deposita, in libertatem nos vivendi, atque in jus paternæ pietatis esse revocatos. Hoc est nimirum illud, quod ait Beatus David: *Lætentur Cœli, & exultet terra*. Unum profecto, atque id ipsum factum est gaudium cœlestibus, atque terrenis, quia unus, idemque est Dominus, qui vicit in terris, & qui regnat in Cœlo. Et iterum idem: *Hic est*, inquit, *dies, quem fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eo*. Sic dicit: *hic est dies, quem fecit Dominus*, quasi sit aliquis dies, quem non fecerit Deus? Omnem quidem diem Dominus dedit, sed hunc specia-
liter

liter fecit, qui perpetuo fulgens lumine vicissitudinem non recipit tenebrarum. Hic est dies, qui discussa scelerum nube caligantibus mortalium oculis lucem perpetuitatis inradiat. Hic est dies, quo vitæ Dominus ingressus Infernum, sævientem mortem æternæ noctis horrore terribilem nova improvisaque majestatis suæ claritate deterruit. *Exultemus*, inquit sermo Propheticus, *& lætemur in eo*, quasi non sufficeret dixisse: *Exultemus*, nisi adjiceret: *Et lætemur*. Sed idcirco Prophetica præscientia spiritualium nobis gaudiorum verba congeminat, ut omni mortis tristissimæ mœrore deterso, & præsentis vitæ lætitiam prædicet, & futuræ. Exultemus ergo nunc redempti, ut postea possimus gaudere salvati. Exultemus resurgente Domino, ut possimus eodem regnante lętari. Et recte gaudebimus, Fratres, si nos verę Fidei munera, & pręstita jam Redemptio, & Resurrectio promissa lętificet. Cur autem, Karissimi, de omnipotentis beneficiis ambigamus? Numquid sine causa homo est factus ex femina, qui incomprehensibiliter de Deo natus est Deus? Numquid frustra vagire in cunis voluit, qui terrificis tonitruum suorum vocibus terram, Cœlumque tremefacit? Numquid incassum flevit, qui a nativitate cæcum novis oculis sputamenti sui virtute ditavit? Numquid otiose potatus aceto, cibatus est felle, qui vastissima in heremo sitientibus de petra rivos, & esurientibus de cœlo potuit manna præbere? Numquid inanis ejus est Passio, qui in investigabili voluntatis suæ secreto de cœlestibus descendit ad crucem? Et ideo quia crassitudine carnalis ingenii Passionum ejus mysteria comprehendere non valemus, credulitate rectæ Fidei, quæ præstitit, teneamus. Tenebimus autem, capiemusque dona gloriæ ejus, si vitam nostram Fides muniat, & a Fide vita non discrepet. Et sicut ille nobis voluit placere moriendo, ita nos gestiamus ei non displicere vivendo, ipso præstante, qui cum Patre &c.

SER-

SERMO VI.

De Pascha.

JUstissime, Fratres, generali hodie gaudio mundus exultat, quandoquidem revertente a mortuis Christo cunctis ubique mortalibus spes orta est resurgendi. Et necesse est, ut creaturarum Domino triumphante, inlustrata per eum creatura lætetur. Gaudet itaque Cœlum, quia videt jamdiu peccatis sordentem terram Domini sui cruore purgatam. Gaudet multitudo cœlestis exercitus, quia conflictu Regis sui omnis inimici Principis debellata militia est. Gaudet etiam Sol, quia lugubres illas tenebras, quas Domino moriente pertulerat, lætioribus radiis, & perpeti gratulatione compensat. Inter ista, Karissimi, præcipue nos convenit exultare, quorum causa Unigenitus Dei, & ipse Deus, humanam induit carnem, quatenus per carnem hominis veniret ad crucem, per crucem susciperet mortem, per mortem spoliaret Infernum. An non lætandum nobis est, quibus novi mysterii Sacramento peccata tolluntur, cœlum datur, redditur Paradisus? Denique latroni tunc in Cruçe pendenti, cum Fidem ejus nec sua, nec Christi pęna turbaret, ait ipse Dominus: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiso;* dicebat enim latro: *Memento mei Domine, cum veneris in Regnum tuum.* Quam mira hæc fides est, Fratres, ut latro, qui vitam non merebatur habere præsentem, inter supplicia sua spem perpetuitatis adsumeret, eamque sibi a Crucifixo crederet posse præstari? Et quam juste tantæ promissionis munus latro fidelis accepit, qui tunc regnum confessus est Christi, quando & Apostoli turbabantur? Atque ideo omnia Latronis anteacta scelera unius meritum confessionis absolvit, & quidquid longa ætate deliquerat, brevissimo sermone delevit. Nec latrocinii eum sui apud Deum sanguis damnavit, quia Christi sanguinem regnum credidit esse,

esse, non pœnam. Quod factum, Karissimi, universo hominum generi profecisse non dubium est. Nam quis de Dei gratia absoluto Latrone desperet, si tamen supplicantum preces Latronis credulitas subsequatur? Habemus & aliud magnificum Dominicæ pietatis exemplum, quo omnem mortiferæ disperationis formidinem deponentes de ineffabili Redemptoris nostri indulgentia confidamus. Cum enim condemnatus ab impiis penderet Christus in Cruce, furorque Judaicus inluderet Crucifixo, omnipotentem Patrem pro interfectoribus suis ipsa inter vulnera pius suffragator orabat dicens; *Pater dimitte illis. Nesciunt, quid faciunt*; & cum in manu esset ejus vivorum, mortuorumque judicium, veniam tamen pereuntibus precabatur; sed ea, ut arbitror, ratione, ut indubitanter ostenderet, & se ejus tam nefarium relaxare delictum, & a suo illos Patre non esse damnandos, quibus ipse parcebat, si tamen ad nomen Christi repudiata perfidia convenirent. Nam quis revera de petitionis cunctetur effectu, ubi remedium miseris bonus poscit a bono? *Nesciunt*, inquit, *quid faciunt*. Sciebant quidem Judæi, sanguinem se fundere innocentis, sed nesciebant peccata omnium illo cruore deleri. Sciebant acerbissimo se Crucis supplicio punire Christum, sed nesciebant Dei Filium triumphare per Crucem. Sciebant, eum esse moriturum, sed rediturum a mortuis ignorabant. Unde egregie a Domino dictum est: *Nesciunt, quid faciunt*. Nesciebant profecto Judæi, illa sua impietas quantæ esset ministerium pietatis. At vero Dominus virtutis suæ sibi conscius, errores miseratus humanos, plenissime sciens supplicia illa quæ quantaque gaudia sequerentur, crucifigentium facinus & inter tormenta benignus absolvit, mortemque suam vitam voluit esse occisorum, & damnationem fieri noluit occidentium. Rediens autem ab Inferis sic suos requisivit Apostolos, ut inesse sibi & potentiam divinitatis, & veritatem carnis ostenderet. Et ideo, Fratres Karissimi, Christo a mortuis resurgente lætemur, carnemque illum suam ab Inferis revocasse credamus, ut possimus & Apostolicæ

gra-

gratiæ, & Dominicæ Resurrectionis desiderabile consortium promereri.

SERMO VII.

De Pascha.

ANnua quidem nobis, Fratres Karissimi, Dominicæ Resurrectionis festivitas redit, sed ubi Religionis est veritas, novum semper est Fidelibus Sacramentum, ut ait Beatissimus Paulus: *Vetera transierunt, facta sunt omnia nova*. Nec immerito semper novus credendus est Dei Filius, qui nullam sentit prætereuntium temporum vetustatem; novus quippe est, Fratres, in quo ætatis nulla mutatio est, nec aliquando aliud novit esse, quam natus est. Deus enim procedens de Deo, ut nativitatis non habet tempus, ita finem non potest habere vivendi, ut ait ad eum gloriosissimus Patriarcha David: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Et non solum ipse homo Christus, qui cum Deo factus est unum, semper est novus; sed, sicut videri datur, spiritalium aquarum fomento, & cœlestis Fidei nutrimentis humani generis labentem renovat senectutem, dicente B. David: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Renovatur nimirum facies terræ hominis, cum vetusta Diaboli captivitate deposita, novam novi Regis inducit libertatem. Ipsius namque Domini sententia est dicentis: *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*. Et recte, Carissimi, solus Dei Filius peccatores liberat, quia solus liber est a peccato, ut ipse de se testari dignatus est per Prophetam dicens: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber*. Sine adjutorio utique tunc videtur effectus, cum sæviendi in eum acciperet furor Judaicus potestatem. Extitit vero inter mortuos liber, quia inter omnes mortales solus causas moriendi non habuit. Propter quod & victa per eum mors retinere eum non potuit resurgentem. Vide-

te au-

te autem, Carissimi, quantum sit in Christi humilitate mysterium, qui cum æternus sit ab æterno, & Dominus universitatis, servorum tamen suorum perficiat libertatem. Gaudet injuriis, exultat opprobriis, omnisque ei triumphus in Cruce est, admirandoque remedii genere Diabolum patiendo superat, & hominem moriendo vivificat. Quæ omnia pro nobis Unigenitus Dei pietate adgressus est; virtute sustinuit; humilitate perfecit. Ait de hac ejus humilitate Esaias Propheta dicens: *Sicut Agnus coram tondente se sine voce; sic non aperuit os suum in humilitate sua*. Quam speciosa, Fratres, comparatio ista, atque accommoda veritati. Sicut enim cum tondetur agnus, nescit reclamare tondenti, ita cum crucifigeretur Christus, non restitit vulneranti. Spoliatur Agnus, & silet; occiditur Christus, & tacet. Silentium agni lanigero detonso vellere hominem vestit. Taciturnitas Christi cunctis credentibus æternæ salutis indumenta prætexit. *Non aperuit*, inquit, *os in humilitate sua*, idest quod inter opprobria, & maledicta tacuit Christus, non fuit miseriæ, sed virtutis. Tali enim proposito Dei Filius mundum redempturus advenit, ut superbos humilitate, contumaces modestia, maledicentes silentio triumpharet. Ita sane & legitur: *Cum malediceretur, non maledicebat*. Nec dubitandum hæc, Fratres, quia maledicere vera benedictione sciebat; neque enim terrenis moveri poterat maledictis, qui benedictiones venerat præstare de Cœlo. Et recte sapientia Dei Christus, nulla maledicentibus maledicta referebat, quia omne maledictum patientia repercussum in suum redit auctorem. *Humiliavit* itaque *se Christus*, ut ait Apostolus, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*. Usque ad mortem se crucis humiliat, ne cœlestis hostia vili aliqua, & consueta morte succumberet. Sed ut Dei, atque hominum mediator in medio Cœli, & terræ susceptæ mortis perficeret Sacramentum. Auctor itaque vitæ nostra conditione est mortuus, ut nos illius privilegio viveremus. Crucifixus ergo est Dei Filius, non ut Crux Christum fœdaret, sed ut Sacramento Christi

Crux nostræ fieret insigne victoriæ. Denique nos omnes, qui Christi confessione gaudemus, Crucis signaculo gloriamur. Neque vero Christiana quis potest militia censeri, nisi fideli manu vexillum erexerit Crucifixi. Ob hanc Crucis mortem, sicut legitur, exaltavit Omnipotens Christum suum, nomenque illi super omne nomen dedit. Dedit illi nomen super omne nomen, cum ditioni, potestatique ejus cœlestia tradidit, mundum, & inferna subjecit, ut ait ipse Salvator: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo in Cælo, & in terra.* An non videtur tenere super cuncta dominatum, an non habere principatum, quem, sicut legitur, creatura omnis flexo curvata genu tremit, & suspicit imperantem? Denique nonnullæ jam gentes, cum inter se diversitate vivendi, & linguarum varietate diffideant, in confessione tamen Christi uno pariter ore concordant. Et licet aliqui ex eis suasione pessima de ejus a nobis discrepent Deitate, nobiscum tamen & passum illum, & redisse a mortuis confitentur. Et ideo nos, dilectissimi, Resurrectionem Christi Regnumque credentes, castis mentibus, & sancta devotione lætemur, quatenus quod universitas credit, nos quoque non discredere fide, & operibus adprobemus.

SERMO VIII.

De Pascha.

PRophetarum præcipuus Beatissimus Esaias, qui mysteria Nativitatis, Resurrectionisque Dominicæ clarissimis vocibus intonavit, ait inter cætera: *Lætare Cælum, & exultet terra, erumpant montes jocunditatem, & colles justitiam, quia misertus est Deus populo suo, & humiles populi sui consolatus est.* Hoc præconium, Fratres, ad hos quam maxime pertinere dies, festivitatemque prænunciare Paschalem, & ex ipsius lectionis advertimus serie, & ex consequentibus edocemur. Recte igitur

tur nunc Cœlestia in omnem lætitiam provocantur, quando Unigenitus Altissimi, contritis Inferni portis, dejectoque Diabolo, mœstissimis mortalibus gaudia beatæ perpetuitatis invexit. Quomodo autem poterat non gaudere Cœlum, cum videret Dominum suum peracto salutis nostræ prœlio ad sedem majestatis suæ, & ad dexteram Patris sedere victorem? Gaudet Cœlum, quod Dominus suus, proposito paternæ voluntatis impleto, ac triumphi sui merito Regnum universitatis accepit. *Lætare*, inquit, *Cœlum*, *& exultet terra*. Exultat nimirum humani generis terra, quæ sanguine Agni cœlestis aspersa non solum redditur Paradisum, sed regnatura cum Domino vocatur ad Cœlum. Exultet & caro nostra, quæ vere est terra, quoniam glorificata per Christum societatem divinitatis emeruit: *Erumpant*, ait, *montes jocunditatem*, *& colles justitiam*. Hos montes, collesque, qui excitantur ad gaudia, Patriarchas dici non inconvenienter accipimus, sicut & in David Sancto legimus: *Inluminas tu mirabiliter a montibus æternis*; & alibi: *Montes exultaverunt*, *& arietes*, *& colles*, *sicut agni ovium*. Nec immerito justi quique montes nuncupantur, & colles, qui terrenæ conversationis humilia relinquentes, ad superiora Cęlestis vitæ Fidei suæ verticem sustulerunt. Justissime itaque venerabiles Patriarchæ adsumere jocunditatem sermone Prophetico commonentur. Quorum proles, idest Christus Dominus, mortis suæ resurrectionisque mysterio, etiam præteriti sæculi Patribus vitam refudit amissam. Jocundantur omnimodis Patriarchæ, quorum de germine natus Dei Filius, universam mundi faciem Diabolicis dudum impietatibus sordidatam inmaculati corporis sui novo cruore detersit. Et ideo, Fratres, quia lætari Cęlum, exultare terra, montes, collesque gaudere cognoscimus, nos quoque religiosa Deo nostro gaudia deferamus; celebremus Pascha Domini, ut ait Apostolus, *non in fermento malitiæ*, *& nequitiæ*, *sed in Azymis sinceritatis*, *& castitatis*. Celebrabis, Frater, Pascha in Azymis sinceritatis, & castitatis, si sensus tui redolentes Dominicum panem, nullo

vitiorum fermento, nulla Diaboli aspersione coalescant. Celebrabis Pascha, & claritatis ejus splendore fulgebis, si in corde tuo nullæ tenebrę cogitationis adulteræ tanti Sacramenti lumen obscurent. Celebrabis Pascha in Azymis veritatis, si ad Ecclesiam Dei castus, si sobrius, si justus, si pacificus, si plenus fraternæ Charitatis adveneris. Nemo enim potest, vita inemendabili, corde impœnitens, & cum Diabolo scelerum habere consortium, & cum Christo sanctitatis celebrare mysterium. Deponamus itaque omne iniquitatis fermentum, ut possimus vere participes hujus esse lætitiæ, ad quam per Spiritum Sanctum voce Prophetica montes convocantur, & colles, ad quam etiam Cœlum invitatur, & terra. Quis enim ita sensu hebeti stupet? quis ita mersis in terram oculis tenebrosa mente cæcatus est, qui non hæc totius orbis vota omni cum exultatione concelebret, in quibus remissio peccatorum, regenerationis gratia, Redemptionis mysterium, Resurrectionis gloria, & spes æternitatis adridet?

SERMO IX.

De Pascha.

REdemptionis nostræ mysterium, Fratres Karissimi, quod de Cœlo veniens salutem nostram operatur in terris, tanta se majestate, tantaque dignatione circumfert, ut virtus ejus, & veritas occulta sit perfidis, manifesta credentibus. Ut enim quod est sanctum Fidelibus innotescit, ita rem Fidei videre non potest perfidia. In examinandis namque cœlestibus rebus omnis sapientia infatuatur humana, atque omne cor mortale torpescit, ut ait gloriosissimus Doctor Paulus Apostolus: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*. Ipse etiam Dominus, ac Salvator noster mundi hujus sapientiam reprobans dicebat: *Gratias tibi ago Pater, quia abscondisti hæc a Sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvu-*

parvulis. Discite itaque per hæc, Fratres, sacramenta vitæ nostræ non Philosophicis adsequenda doctrinis, sed parvulorum simplicitate credenda, quia profundo illo Dei nostri, magnoque judicio, quod sapientibus conditur, parvulo revelatur. Parvulus enim dicitur, non cui ætas sit imperfecta, sed qui mysteriis nescit contraire divinis. Et recte parvulus nuncupatur, qui voluntati Dei sui non parat argumenta, sed Fidem. Absconditur ergo sapienti, ne manifesta videat, quod superbe, & imprudenter elatus plus se sapere, quam Deum posse, contendit. Et ideo quæstiones sæcularis sapientiæ refutantes, teneamus Fidem, quæ parvulis revelatur; incunctanter credentes operatione Cœlesti Virginem concepisse, atque edito Filio Virginem mansisse post partum. Nec dubitemus eum natum de Virgine, quem sola digne potuit parturire Virginitas. Et hoc est, Karissimi, in quo a mundi hujus Sapientibus discrepamus, quia illi in Christo immoderatis disceptationibus suis partus feminei despiciunt vilitatem. Nos vero, inluminati Fide, Virginalis uteri suspicimus Sacramentum. Christus enim Deus, ac Dominus noster ita in semetipso quod habebat de Patre, & quod de matre sumebat, ineffabili societate devinxit, ut Incarnationis ejus profundum, repulsa procul sapientum prudentia, simplicitas inspiceret parvulorum. Denique ut ad sequentia veniamus, rident Gentes, quod Crucifixus est Christus, non intendentes, quia per Crucem illius Mundus intremuit, clausus est dies, & quod nullis antea contigit sęculis, Cœli Dominum Inferna viderunt. Adjiciunt etiam dicentes: Quomodo Christus vester, ut Deus, a vobis colitur, qui timuit mori? Si ergo nosti, quia mori timuit Christus, cur ignoras, non ignaviæ, sed mysterii fuisse, quod timuit? Timuit quidem Christus, sed ut timere aut vellet, aut posset, de nostri illud corporis infirmitate suscepit. Inde enim timuit, unde & esurivit, unde tristis erat, unde dormivit, unde doluit, unde flevit. Quid hoc rei est? Vides Christum timentem mori, & non aspicis eum triumphali manu captivæ mortis spo-

lia detrahentem? Vides, quod timuit mortem, & videre detrectas, quod mortuum suscitavit? qui peragratis Inferis sibimet ipsi vitam reddidit post sepulcrum? Noli ergo illum despicere mortuum, qui sepulturam suam Resurrectione glorificat. De Matre enim traxit, quod mortem susceperat; a Patre detulit, quod mortuum suscitaret. Surgens autem ab Inferis, ut ostenderet sibi inesse suscitati sui corporis veritatem, ait ad Discipulos suos dicens: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Ossa sua ostendit, & carnem, ut nullus ambigeret ipsum redisse de tumulo, qui clavis fuerat transfixus in ligno. *Palpate*, inquit, *& videte*, idest palpate manu, videte Fide, quia inest mihi & corporis mei veritas, & proprietas Deitatis. Spiritus, inquam, carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Idest non est naturæ, ut spiritus vel ossa possit habere, vel carnem; meo vero mysterio factum est, mea Patrisque mei virtute, ut & caro mea in Spiritu, & Spiritus in carne semper mihi inseparata constarent. Videte ergo, videte, quia ego ipse sum, qui clavis, lanceaque transfossus mortem timendo non timui, qui vulnera mea non medicinalis artis industria, sed moriendo curavi, qui in corpore meo clavorum vestigia non mihi, sed vestræ Fidei reservavi. Volui enim salutaris illius Passionis in me non delere memoriam, ut in cordibus vestris Resurrectionis meæ veritas permaneret. Et ideo, Fratres, honoremus Domini morientis mysterium, ut possimus gloriam resurgentis accipere. Veneremur Crucifixum, ut mereamur eum videre Regnantem. Elegit enim mori, non ut illum sibi vindicaret Infernus, sed ut mortuos a mortuis liberaret.

SER-

SERMO X.

De Pascha.

SUpernæ voluntatis, ac dispositionis profunda, Fratres Karissimi, nisi fide sequamur, intelligentia interturbatur humana, & in magnitudine operum divinorum nisi omnipotentis Dei terreremur arbitrio, mortalis ingenii ratio velut infirma succumbit. Et ideo quæ Deus agit, non sunt rimanda verbis, sed devotione credenda. Nam in Christum Dominum nostrum ita Dei, hominisque Sacramenta concurrunt, ut sub quodam geminæ actionis officio, & in majestate ejus humilitas fulgeat, & regnet in humilitate majestas. Erat quippe ipse Christus sub unitate substantiæ diversæ, per mysteria Redemptionis nostræ, homo potens, & humilis Deus; sed secundum propositum gloriæ suæ humilitas Dei homo est, & potentia hominis Deus est. Humilis sane dicitur Deus, ubi prærogativam propriæ divinitatis inclinans Cruci suum corpus adfigi, mundo ipso lugente, permisit; & potens est homo in Deo suo, cum verbi ejus imperio infirmitates discedunt, sanitates languentibus redeunt, immundi fugiunt spiritus, & Angeli obsequuntur. Itaque cum novi hominis hujus sit tanta potentia, debemus advertere, quia omnis illa Dei humilitas dignationis est pietas, non deletio potestatis. Per hoc nimirum Sacratissimum Incarnationis mysterium ita in unum Dominum, unamque personam caro convenit, & Verbum, ut & Deus putaretur natus e femina, & homo credatur venisse de Cœlo, secundum quod ait ipse Salvator dicens: *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo Filius hominis, qui est in Cœlo.* Quæso nunc, quomodo ante Passionem suam Christus, cum necdum glorificatus properasset ad Patrem, in cœlo esse se dixit, ascendisse etiam vel descendisse de Cœlo? Quomodo, Fratres, nisi quia ipse erat Filius hominis, qui Filius

lius Dei? Nec possumus seorsum aut hominem sine Deo, aut Deum sine homine confiteri. Nonne videtur cœlum transcendisse homo, quando in utero Virginis unitus est Dei Verbo? & tunc descendisse de cœlo, quando nihil sibi de genuina majestate sua vindicans, hominem suum pœnali tradidit passioni? Atque ideo in Cœlo erat Christus, cum potestate cœlesti miranda faciebat; erat nihilominus & in terris, cum mitis, & humilis terrenas per impios pateretur injurias. Inde etiam erat, quod dum inter concertantes Judæos de ipso Domino populorum ferveret diversa sententia, alter illum despiciebat ut hominem, alter mirabatur ut Deum. Inde erat, ut alii illum crucifigerent, alii adorarent, sicut & Latrones illi pariter crucifixi, unus illum tamquam consortem supplicii, ut perfidus increpabat, alter ut Deum sentiens precabatur. Et hoc ideo, Fratres, quia erat tunc simul in Christo & Regnantis dominatio, & ministerium servientis. Nam, *cum in forma Dei esset*, ut docet Paulus Apostolus, formam induit servitutis. Erat revera in forma Dei Christus, cum aquas in vino vertendo creaturarum se esse Dominum revelabat. In forma Dei erat, cum præcepto ipsius de obsessis corporibus, ac vetustis e sedibus reclamantes Dæmones pellebantur. Erat in Dei forma, cum mediis in fluctibus unda solidata, nec tamen sine timore, venerandis ejus vestigiis serviebat. In forma autem servi erat, cum itineris fatigatione lassatus velut requiescens super os putei sedebat. Formam servi agebat, cum in eum insultantes impii sordidissimi oris sui sputamenta projicerent. Servi formam susceperat, cum faciem suam, quam intueri credentibus pavori erat, a palmis, & ictibus ludentium non vertit, & quod his, qui vere sunt servi, perpeti erat turpissimum, etiam scapulas suas, quibus nostra venerat peccata portare, verberantium manibus inclinavit. Quasi servus utique erat, cum salutare ipsius caput inimicorum contexta manibus spinea corona fœdabat. Itaque, Fratres, cum unus, idemque Dei Filius mira fecerit, flenda pertulerit, unus idemque erat

& ser-

& servus, & Dominus: Totum enim ut Dominus poterat, & totum patiebatur ut servus. Sed jam videamus, quibus potissimum virtutibus, quibusque gradibus ille, qui servus erat, Deum se esse suis discipulis confirmavit. Primo omnium fidelissimi Centurionis necessarium famulum, cum lethali urgeretur incommodo, rogatus ab ejus domino, absens absentem, ut vere Deus, missa sanitate curavit, & ægrotum illum, quem paulo longius decumbentem corporaliter non videbat, Deitatis suæ oculo visitavit. Deinde miserandæ viduæ unicum Filium, cum jam sepeliendus lecto portaretur ad tumulum, jussione vivificantis imperii suscitatum, vitæ simul ac matri, medias inter turbas, & morte ipsa teste, restituit. Post hæc Sacerdotum Principe pro salute filiæ suæ supplicante, ipse qui vitam nascenti dederat, defunctæ puellæ animam proprium reduxit in corpus. Ac ne de miraculis recentioris obitus apud impios conludii remaneret ulla suspicio, & putarentur non esse mortui tam velociter suscitati, ad Beati Lazari pergitur sepulturam, qui quatriduanus, & fœtidus, vinculis insuper, ut moris est, conligatus, ad præceptum Christi vocantis exiliens, factus est continuo Domino suo in colloquio particeps, & in mensæ societate conviva. Quæ omnia facta sunt idcirco, Karissimi, ut nemo penitus de ejus reditu ab Inferis disputaret, qui probabatur tanta gloria suscitasse defunctos. Et ideo credamus Domino Deo nostro tam stupenda mirabilia facienti. Amemus eum tam magna nobis beneficia conferentem, suscitantem mortuos. Veneremur ab Inferis resurgentem; colamus, adoremus etiam ad Patris dexteram consedentem, atque omni devotione vivorum mortuorumque venturo Judici serviamus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto &c.

HO-

HOMILIA SANCTI MAXIMI TAURINATIS EPISCOPI

De Natali Sanctorum Martyrum.

SIcut scimus, Fratres, vota semper Domini subsequitur festivitas servulorum. Unde recte post Sanctum Pascha Christi Domini Natalis celebratur Martyrum Beatorum, scilicet, ut quem subsecuti sunt similitudine Passionis, etiam comitentur & gloria Resurrectionis. Comitantur autem cum & gloria Resurrectionis dicente Apostolo: *Quod si socii passionum estis, & resurrectionis eritis.* Est ergo Sanctis Martyribus cum Christo in ejus Resurrectione societas; est plane, quia etsi nondum surrexerunt, certe jam merito, etsi adhuc non sumpserunt sua membra, sumpsere jam gratiam. Si nondum liberati sunt ab Inferis, liberati sunt a peccatis; hæc est enim prima Resurrectio peccatorum evasisse tenebras, lucem possidere justitiæ. Veruntamen etiam fortasse plurimi ex hisdem Beatis Martyribus cum Domino Resurrectionem corporaliter vel consequantur, vel fuerint consecuti. Nam si legimus in prima Resurrectionis festivitate suscitante se Domino multa Sanctorum corpora suscitata revixisse, & introisse in Sanctam Civitatem, cur non quotienscumque Resurrectionis ejus Festivitas celebratur, totiens resurgere credamus & Sanctos? Ubi enim votorum jugis est solemnitas, gratia jugis est & donorum. Sed fortasse quis dicat: Sepulcra clausa sunt, monumenta constructa, quemadmodum prodire exinde potuerunt? Ut taceamus, quia omnia possibilia sunt Deo, & quod clausi tumuli penetralibus possit spiritale corpus educere, ut hæc omnia prætermittam, Johannis tamen Apostoli habemus exemplum, quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit; nam depositum corpus perdidit, non absumpsit. Sic enim clauso e tumulo gratia Resurrectionis ablatum est,

Nota de S. Johanne Evangelista.

eſt, ut conſtaret ſepultura, non inveniretur ſepultus. Denique cum Sacerdotes honorandi causa corpus inquirerent, reſerato aditu tumulus non potuit reddere, quem ſuſcepit. Hoſtias ergo ſecum ſuas Salvator ſuſcitat, cum reſurgit.

SERMO XII.

De Aſcenſione.

RELigioſis admodum gaudiis, devotaque lætitia, Fratres Kariſſimi, hodierni myſterii nobis eſt celebranda feſtivitas, quia Chriſtus Dominus noſter, cui inter primordia congreſsionis ſuæ temptator ille dicebat: *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*, Cœlum hodie penetrans omnem credentem vivi lapidis confirmat munimine, & cœleſtis panis refectione vivificat; & quem totius doli artifex explorabat dicens: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*, non ſolum deorſum non corruit, ſed ſumptis æternæ gloriæ pennis victor æmuli ſui volavit ad cœlum. *Aſcendit* enim, ſicut ſcriptum eſt, *ſuper Cherubim, & volavit, volavit ſuper pinnas ventorum*. Et cui tunc Diabolus, ſi ab eo eſſet adoratus, regna & poteſtates ſæculi promittebat, ſpreta vanitate temptantis, Dominatum mundi, & ſempiternum Cœli accepit imperium, ut ait ipſe: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo in Cœlo, & in terra*. Nec immerito Beatiſsimo remuneratus eſt regno, qui legitimi Regis animum gerens, tyrannica promiſſa deſpexit. Magnis igitur, adprobatis, incomprehenſiſque miraculis myſteria nobis Chriſti, virtuteſque ſuccreſcunt. Nam quem maternus uterus in uſum præſentis vitæ humana per incrementa produxit, ingenito confœderatus Patri dexteræ ejus perpetuus Dominator adſedit, & quem terris perſequentum vox impia blaſphemabat, obſequentium nunc Angelorum laudatio indefeſſa concelebrat, ſicut ſcriptum eſt: *Laudatio ejus manet in ſæculum ſæculi*. Læ-

temur

temur itaque, Fratres, & exultemus in Domino; quia hodie Cœli alta transcendens ad paternæ sedis incogitabilem majestatem Christus ascendit, & hominem, quem invidia malignantis inimici prima illa Paradisi habitatione depulsum, projectumque in hanc mundi labem fecerat esse peregrinum, Angelica in patria collocavit, & Paradisi exulem civem cęlestium fecit. Propter quod, Karissimi, immensa nobis est gratulatione lætandum, quia quos temptator elisit, Salvator erexit, & quos peccatum Diaboli vinxerat, Christi gratia liberavit, sicut ait Beatissimus Paulus Apostolus: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia*. Vere superabundans gratia, quæ delecto homini mortem transfudit ad vitam, & pęnam vertit in præmium. Nam quod revera potest majus esse præmium peccatori, quam quod ejus causa Unigenitus Dei induit carnem, Crucem pertulit, sepulturam dignatus est, inferna non horruit, damnatoque ipso auctore delicti susceptum hominem portavit in Cęlum? Intendite itaque, dilectissimi, quia plus profuit homini culpa, quam nocuit; nam qui prævaricationis humiliatus lege captiva Diabolico jugo colla subjecerat, omnia tyrannicæ captivitatis vincula a Dei Filio captus evasit, sicut ait de ipso Domino Redemptore nostro venerandus David: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Quid ergo prodest nobis, si captivitatem nostram captivam sursum Dominus duxit, ut quod captum a Diabolo erat non desineret esse captivum? Per omnia nobis prodest, Karissimi, & inæstimabiliter prodest, quia in captura Diaboli dura est servitus, & beata in Christi captivitate libertas. Nec dubium, quia omnis captus a Diabolo, traditus Inferni tenebris semper in luctu est, & in lumine cęlestis Regni Christi captivus exultat. Ait ergo Beatus David: *Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Videte, & advertite, quam nos expediat Christi esse captivos, qui captis suis non solum æternam tribuit libertatem, sed & ineffabilia cęlestium munerum dona largitur. Ideoque alio in loco Patriarcha

cha decantat: *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austrum*. Converte, ait, non averte, id est præsta Domine ut qui jamdudum capti a Diabolo sumus, tui tandem mereamur esse captivi. Scimus enim, quia Diabolo esse subjectum peramara conditio est, & inexpleta tibi Domine servire jocunditas. Nec ambiguum hoc, Fratres, quia ipse Dominus ait: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. Idcirco disrumpentes infidelitatis vincula, & projicientes a cervicibus nostris jugum Diaboli, omni cum devotione colla nostra Dominico subdamus imperio, quia magnam credentibus confert Euangelicum jugum, & Christi captivitas suavitatem. Qui cum Patre &c.

SERMO XIII.

Ejusdem.

De Ascensione.

HOdierni diei festivitatem, Fratres Karissimi, mysterium nobis Dominicæ Ascensionis instituit, ut Unigenitum Dei, quem pro Redemptione omnium ad terras venisse gaudemus, pro æternitate nostra Cęlum lætemur ingressum; nam hæc est veritas Fidei salutaris, ut cujus passionem credimus, gloriam non negemus. Nec magni sane miraculi res est, quod ad Cęlum redit, qui venit e Cęlo, sed quod hominem, quem suscepit e terra, pervexit ad Patrem. Ait Beatus David: *Lætentur Cœli, & exultet terra*, quod eum de Sacramento Christi cecinisse non dubium est; nam exultat terra, quæ regnare suum videt in cęlestibus Redemptorem. Lætatur Cęlum, quia & Deum suum, quem habuit, non amisit, & hominem, quem non habebat, accepit. Gaudet terra, Filium Dei descendisse de Cęlo, sed non minus exultat Cęlum Filium hominis ascendisse de terra. *Sedit*, inquit, *ad dexteram Patris*. Quam necessarium erat, Karissimi, ut caro hominis, quæ jamdiu erat peccato dominante captiva, illic vivendi acciperet liberta-

tem,

tem, quo culpa transire non possit? Ascendit ergo ad Patrem Salvator, ut & ipse debito potiretur imperio, & nobis æternitatis promissæ spes integra permaneret. Nec dubitandum, Fratres, de hoc Domini, quem prædicamus, ascensu. Nam si Helias quondam Dei famulus ob castitatis, & Fidei merita curru flammeo, & equis igneis usque ad cęlum est elevatus, cur non tota devotione credamus, Christum nostrum cęlos supergredi potuisse, qui sempiterni Patris & Verbum est, & voluntas? De hoc nempe dictum est per Spiritum Sanctum: *Regna terræ psallite Domino, qui ascendit super Cælos Cælorum ad Orientem*. Et iterum: *Dominus in Cælo paravit Sedem suam, & regnum ejus omnibus dominabitur*; & alibi: *Dominus ascendit super Cælos, & tonat*. Aut quomodo poterat non in Cœlum recipi, qui humanum genus vocabat ad Cœlum? Exultemus itaque, Dilectissimi, & lætemur, quia ibi esse nostrum novimus Redemptorem, unde cuncta & prospicere possit, & regere, & quia illic ereptum ab Inferis hominem collocavit, ubi non arbor scientiæ boni, & mali mortifera poma prætendat, sed salutaris, ac simplicis bonitatis inhabitat plenitudo.

Unde supra.

SERMO XIV.

De Ascensione.

QUantus & quam investigabilis sit in operibus suis Unigenitus Omnipotens Dei, ineffabilium mysteriorum ejus magnitudo declarat, qui suscepto adversus mundi Principem prœlio, pugnando in homine, & vincendo per hominem, terrarum incolam cœli, terræque Dominum fecit. Qui etiam corpus illud humilitatis nostræ, quod fragili adsumpsit e femina, variis persequentum objecit injuriis, Cruci etiam permisit adfigi, elevatis æternalibus portis secum, & in se hodie evexit ad Patrem. Denique Beato David instruente cognovimus, collo-

colloquentibus inter se Virtutibus Cœli hæc prædicta mortalibus; ait enim: *Tollite portas Principis vestri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Recte, Karissimi, æternales elevatæ sunt portæ, quia gloriosissimo Regi, & æternitatis Domino, mirabilis ad superna parabatur ingressus. Adnunciatur ergo per Patriarcham, eumdemque Prophetam, elevatas æternales portas, ut advertamus præeunte illuc Christo, Cœlum jam patere mortalibus. Patebunt, dilectissimi, portæ illæ Fidelibus, & semper patebunt, quas devicta morte, triumphatoque Diabolo, ad Patrem pergens prævius Salvator aperuit. Mirantibus autem, & percunctantibus, quis esset iste Rex gloriæ? ita protinus respondetur: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*. Ideo ergo potens, quia fortis. Et illa revera est prædicanda potentia, quæ non alienis fulta viribus, sed sua sibi per omnia potestate subsistit; quæ a Domino, & Redemptore nostro non ambitione præsumpta est, non munerum redempta commercio, non ulla adulatione quæsita, sed perfecta, & simplici virtute possessa. Nam quod *Patri obediens fuit usque ad mortem Crucis*, sicut ait Apostolus, *dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, & terrestrium, & infernorum*. Hic enim cum dicit: *Dominus fortis, & potens*, non genuina Christi a Patre potentia, sed invicta novi hominis fortitudo laudatur. Neque vero magnum erat, fortem dici illum, per quem creata sunt omnia, & qui omnipotens ab omnipotente processit. Fortis ergo, & potens in prœlio, Dominus. Fortis non quia inimicos suos potenter occidit, sed quia pro nobis patienter occisus est. Potens, quia inter obprobria, & supplicia passionum tantæ sibi virtutis conscius, ut ministerium Redemptionis impleret, suam noluit ostentare potentiam. *Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi suscipiens*. Fortis itaque, potens est, & gloriosus. Fortis, dum a Diabolo in congressione non vincitur. Potens, dum subjugaturus mortem Inferni clau-

stra

ſtra diſrupit. Glorioſus, dum immaculato Sanguine ſuo captivitatis noſtræ chirographo ex lege deleto ad Sedem paternæ gloriæ cunctis cœlorum virtutibus adorandus aſcendit. Quæ igitur eſt hujus profunditas Sacramenti, quam inſuſpicabile Divinæ operationis arcanum, quod is, qui ante ſæcula prodivit a Patre, & ille, qui in fine temporum proceſsit ex femina, unus factus eſt Deus! Atque hoc ideo, ut cum eſſet Unigenitus indiviſus a Patre, haberet homo in Unigenito Dei paterna cum immortalitate conſortium. Propter quod, Fratres, ſic Dominum aſcendiſſe confiteamur in Cœlum, ut non nos ſine eodem relictos eſſe credamus, quia ipſe ſub momento Aſcenſionis ſuæ, ait Apoſtolis: *Ecce ergo vobiſcum ſum omnibus diebus uſque in conſummationem ſæculi*. Nam qui ita deſcendit a Patre, ut apud Patrem inſeparabilis permaneret, ſic nimirum de terris aſcendit in cœlum, ut non relinqueret mundum. Eſt enim hæc omnipotentia Deo noſtro, eſt hujuſmodi ejus, & tam indefinita poteſtas, ut eum pro immenſitate ſui omnis ubique habeat creatura præſentem. Cui honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

SERMO XV.

De Pentecoſte.

QUanta ſit omnipotentis Dei cura de ſalute mortalium, ipſa ſolemnitatum noſtrarum frequentiſſima Sacramenta declarant. Nam primo omnium, ut in cœleſtem gloriam natura tranſire poſſit humana, mortalis hominis corpus ſubſtantia divina ſuſcepit, atque ut in hanc tantam beatitudinem myſtici nos lavacri gratia præpararet, totius fluenta mundi ſuo Dominus Baptiſmate conſecravit, & benedictio ſacri corporis ejus cunctis ubique aquis regenerandi tribuit poteſtatem. Deinde ut Diabolum ipſum noſtræ ſalutis, ſuæque voluntatis inimicum juſtus Dominus juſto certamine

mine triumpharet, crucifigi se ab eo sua, Patrisque sui voluntate permisit, ut inmaculati passio fieret damnatio persequentium. Moriendo etiam Christus sese mortalibus adæquavit, ut superata morte vitam mortalium repararet. Cœli nihilominus alta conscendit, ut spem credentium, quam blanda promissione nutriverat, mirabilis ascensus sui præmisso confirmaret exemplo. Sed quia hæc omnia specialiter quodammodo per Unigenitum Dei munera nobis delata videbantur, Spiritus quoque Sanctus, cujus hodie salutarem celebramus Adventum, ut ejusdem se, qua Dei Filius erat, voluntatis, ac Deitatis ostenderet, redemptos Christi sanguine majestatis suæ virtute supplevit, ut qui in utero B. Mariæ corpus novi hominis, salva ejus virginitate, formaverat, Apostolorum quoque ejus & corda cœlesti vigore firmaret, & linguas novo ditaret eloquio, quatenus idem Spiritus, qui redemptioni omnium Christum Dominum femineo mirabiliter a ventre produxerat, præstita varietate linguarum cunctis eum gentibus per Apostolos prædicaret. Quis non advertat, Karissimi, Unigenito Dei, & Spiritui Sancto concordem in omnibus voluntatem; quandoquidem quos Christus elegit in terris, Spiritus visitaret e cœlo? Et ideo, quorum unam videmus in Apostolis gratiam, unam necesse est credamus & in Deitate virtutem. Sic revera Apostolorum pectora Paracletus adimplebat, ut & Christi eis præsentia non deesset; nam quorum indivisa sunt munera, est utique inseparata divinitas. Quod vero ingreditur Spiritus, in quos habitat Christus, non eis ad Deitatis crescit augmentum, sed ad Fidem proficit unitatis. Potuit nimirum Dei Filius, qui creaverat usum loquendi, discipulis suis diversitatem dare linguarum; sed reservata virtus est, per quam verus esse Deus etiam Spiritus probaretur. Hæc namque est, ut credimus, incomprehensæ dispensatio Trinitatis, ut cum omnia simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ejusdem Deitatis effectu inseparabiliter operentur, quædam tamen specialiter a singulis tribuantur. Nam pro remedio vitæ nostræ Pater nobis lar-

gitus est Filium, Filius regenerationis præstitit gratiam, virtutem Spiritus ministravit, sicut doctrina Patriarchæ psallentis adnunciat, cum dicit: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Quam necessarie autem dedit Apostolis Spiritus scire gentium linguas, ut veritatem salutaris Fidei omnis per eos posset audire Gentilitas. Sed quod præstat Spiritus, præstat & Pater, quia totum cum Patre habet, qui totus semper a Patre procedit. Et quod præstat cum Patre Spiritus, præstat & Filius, quoniam de eodem Patre natus est Filius, a quo procedit & Spiritus: Ait enim Christus: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*. Si omnia, quæ habet Pater, Filii sunt; ergo & quod Spiritus habet cum Patre, & Filio commune est. Et ideo quorum in nomine nulla divisio est, una eorum in omni operatione & voluntas credenda est, & potestas. Sic igitur in suis Fidelibus cœlestia Trinitas peragit Sacramenta, ut quamvis discreta videatur operatio, indiscretum tamen probetur imperium. Una itaque Filio, ac Spiritui Sancto cum Patre est Deitas, quia sicut de Deo nasci non potuit nisi Deus, ita dubium non est esse Deum, qui procedit a Deo. Qualiter autem ab uno, eodemque Patre, & Filius, qui erat, natus sit, & Spiritus, qui natus non est, procedat, ipsi soli divinitati notum est, quæ ut est, sola se novit. *Nemo* enim, sicut lectum est, *novit Patrem, nisi Filius*. Quod ergo novit Filius, novit & Spiritus, cui cum Filio, & Patre unum nomen, ac una est Deitas. *Qui*, ut ait Apostolus Paulus, *scrutatur altitudines Dei*. Scrutari autem dicitur Spiritus altitudines Dei, non ut ipse quasi occulta sibi, ac abdita rimari videatur in altero, sed ut tu advertas inscrutabilia tibi esse, quæ Dei sunt. Perspice itaque, Frater, profunda Patris nisi Filium, qui de ipso est, & Spiritum, qui ab ipso est, scire neminem posse. Nec coneris intendere, quod nulli est videre concessum. Credere enim tibi id, quod est, justum est; non hoc ipsum, quod est, qualiter sit, investigare permissum. Acceperunt ergo Apostoli per Spiritum Sanctum diversitatem

lo-

loquendi; sed unus Deus est, quem loquuntur. Et ob hoc cœperunt varietatem linguarum, ut diversitas gentium sermone multimodo Fidei disceret unitatem. Denique ut lectum est, differente Beatissimo Petro, *tria millia hominum crediderunt*. Nec incredibile sit hoc nobis, quia idem Spiritus & Apostolorum erudiebat linguas, ut credenda loquerentur, & ut prædicantibus Apostolis crederetur, audientium pectora idem Spiritus præparabat. Qui dabat loquentibus sensum, præstabat audientibus intellectum, ut non dubitetur unius esse virtus in ore loquentium, & in corde credentium. In his, Karissimi, opus quidem visibile, sed invisibilis operator; manifestus virtutis effectus, sed efficientis occulta majestas. Rectissime igitur victoriam, Fidemque Christi Spiritus adnunciat, qui adventum ejus promiserat per Prophetas, qui eum Virgineo formavit in utero, qui Baptismo ejus cum testimonio paternæ vocis adfuit in columba. Credentes itaque, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius semper esse voluntatis, & operis, vinculo etiam Christianæ pacis uniti in præcepta Divina vitæ nostræ semitas dirigamus, ut plenitudinem gratiæ Dei, ac visitationem Spiritus Sancti sanitate Fidei, & actuum nostrorum conversatione mereamur.

SERMO XVI.

Ejusdem.

De Pentecoste.

POst festivitatem Dominicæ Ascensionis, Fratres Karissimi, Sancta Pentecostis hodie mysteria celebramus, ut sicut lætati sumus, cœlum pro nobis ascendisse hominem, ita nunc exultemus, nostri causa Spiritum Sanctum descendisse de Cœlo. Perrexit Christus ad Patrem; Paracletus venit a Patre; ut non ambigamus omnia nobis salutis æternæ munera omnipotentis Patris dispositione, & voluntate conferri, a quo Spiritus venit, & ad quem Filius vadit. Ascendit ergo in Cœlum

novus homo, ut per ejus gratiam venire ad terras Spiritus dignaretur. Venit e Cœlo Spiritus Sanctus, ut regnare cum Patre Christum mortalibus nunciaret. Nam quis alius habitantibus terram divinum poterat aperire secretum, nisi particeps Divinitatis venisset e Cœlo? Lectum itaque est, ut audistis: *Et dum complerentur dies Pentecostis, erant omnes unanimes simul in eodem loco*. Et post pauca ait: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat eloqui eis*. Erant ergo unanimes Apostoli, & repleti sunt Spiritu Sancto. Ad unanimos venit, concordes visitat, pacificos muneratur, & libenter venerabilium Apostolorum replevit corda, quorum jam pectora auctor, & magister pacis Christus habitabat; *seditque*, ut audivimus, *Spiritus Sanctus supra unumquemque eorum*. Advertite, Karissimi, quia pacificorum pectus sedes est Dei, ut ait Beatus David: *Et factus est in pace locus ejus*. Nec dubitandum, Apostolos invicem erga se unanimitatis gratiam custodisse, quibus transiturus ad Patrem prædixerat Christus: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; & iterum: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*. Non est ergo mirum, si in peccatoribus Apostolorum dilectio mutua, & pax Christi Spiritum Sanctum delectabat. Legimus etiam in Euangelio, Salvatorem dixisse discipulis suis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*; & iterum ait: *Nam si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam illum ad vos*. Quis itaque poterit impune non credere, vel Sanctum Spiritum esse Deum, qui per Dei Filium prædictus advenit, vel Christum Dominum, cujus salutare promissum Pater sempiternus implevit? Magnum hoc, Fratres, incomprehensumque est Sacramentum, cum de terris ad Cœlum vadit homo, qui Deum nobis ad terras mittat e Cœlo. Et est revera hæc pax, & consonantia Deitatis, ut & Christus adnunciante spiritu nasceretur, & Spiritus Christo promittente descenderet. Invicem se loquuntur, invicem se mittunt, invicem sibi obediunt,

quia

quia non est in eis aut velle, aut posse diversum, & unum semper cum Patre agunt pro mortalium æternitate mysterium. *Expedit*, ait, *vobis*, *ut ego vadam*. Quam mirabile hoc nostræ salutis est munus! ut sicut expedivit nobis, Christum venire de Cœlo, ita illum expedierit & redire. Expedivit illum venire, ut suum pro nobis sanguinem daret; expedivit nihilominus & redire, ut suum nobis Spiritum largiretur. *Repleti sunt* ergo, ut lectum est, *Spiritu Sancto*, *& cœperunt loqui variis linguis*, *prout Spiritus dabat eloqui eis*. Varietas ista linguarum divinitatis adnunciat unitatem. Diversus quidem, & multiplex sermo prodiebat a singulis, sed unus in omnibus spiritus loquebatur. Sonat Hebræus linguam, quam ante non didicit, ut possit fidem, quam ignorabat, audire Gentilis. Nec mirum, Karissimi, si Apostolis suis Christus per Spiritum Sanctum linguarum notitiam dedit, qui claudis gressum, cœcis oculos, mutis potuit reparare sermonem. Et ideo, Fratres, non dubitemus de his, sed tota cum devotione credamus, quia & Deo omnia sunt possibilia, & necesse erat, ut novam Fidem nova loquendi miracula confirmarent.

SERMO XVII.

Unde supra.

De Pentecoste.

MAnifestum est, Fratres, cunctisque perspicuum, quanta omnipotenti Deo Patri de universis sit cura mortalibus, cui parum fuit unicum morti filium tradidisse pro nobis, nisi in corda Fidelium suorum etiam plenitudinem Sancti Spiritus effudisset, sicut dictum est a Domino per Prophetam: *In novissimis diebus super servos*, *& ancillas meas effundam de Spiritu meo*, *& dabo prodigia in Cœlo sursum*, *& signa in terra deorsum*. *Sol convertetur in tenebras*, *& Luna in sanguinem*. Dat profecto Dominus prodigia in Cœlo, cum in nativitate Christi nova Chaldæorum oculis stella præfulget, & in Pas-

ſione ejus repentina obſcuritate fuſcatus Sol meridianus occumbit. Dat etiam in terra ſigna, cum ipſa terra inconſuetis motibus contremiſcit, cum rupta in partes ſaxa diſſiliunt, cum etiam ſepulcra refundunt luci corpora defunctorum. *Sol*, inquit, *convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem*. Quid aliud eſt, Kariſſimi, ſi ſpiritalia contemplemur, converti in tenebras Solem, niſi cum Chriſtus tranſit in mortem; aut commutari in ſanguinem Lunam, niſi cum Sancta Eccleſia pro confeſſione Chriſti ſui variis paſſionibus cruentatur? Traditur morti Chriſtus, non ut in corruptione remaneat ſepulturæ, ſed ut poſt Inferi tenebras fulgentior eluceſcat. Vexatur Eccleſia manibus cruentorum, non ut inter ſupplicia, pœnaſque deficiat, ſed ut per multimodos victoriarum titulos in omnem pulchritudinem cruore triumphantium Martyrum decoretur. Hæc vero omnia agit, & perficit una, atque eadem gratia concordantis Chriſti, & Spiritus. Chriſtus utique, qui ſervorum ſuorum pectora in omne patiendi deſiderium ſpe perpetuæ retributionis ſuccendit. Spiritus nihilominus vigore virtutis Divinæ in contemptum mortis credentium corda confirmat. Et ideo poſtquam Dominus rediit victor ad Patrem, ſuumque ſe recepit in Regnum, paterna ſecum gratia largiente, dedit Apoſtolis ſuis Paracletum, quem promiſit, ut fidem, quam in eis ipſe plantaverat, veniens deſuper Spiritus cuſtodiret. Deſcendit ergo in Apoſtolos Spiritus promittente Chriſto, ut appareat, unam eorum eſſe in omnibus indiſſociabilem voluntatem. Quam congrue autem ipſa ſe Divinitas alterno teſtimonio humanis inſerit ſenſibus, cum Chriſtus prænunciat Spiritum venturum eſſe de Cœlo, & regnare in Cœlo Chriſtum Spiritus atteſtatur! Quis autem dubitet, vocem eſſe veriſſimam, & ejus qui pergit ad Cœlum, & illius qui venit de Cœlo? *Repleti* itaque *ſunt* hodie *Apoſtoli*, ut lectum eſt, *Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat eloqui eis*. Illos nimirum replevit Spiritus Sanctus, quorum corda adventui ejus, ſanguis, & doctrina Chriſti purgaverat. Et hæc prima fuit Spiritus adve-

advenientis utilitas, ut hi viri, qui in salutem universarum gentium fuerant ordinati, sermone omnium loquerentur. Tantaque Paracleti gratia Apostolorum & linguam replevit, & pectus, ut nec virtus verbis eorum deesset, nec verba virtuti. Neque sane est aliud in divinis, humanisque rebus, quod ita hominem faciat gloriosum, quam sancti sermonis perfectio, & cœlestis fortitudinis plenitudo. Loquebantur ergo Apostoli per unum Spiritum variis linguis, ut in unam Christi Fidem gentium varietas conveniret. Unde dubium non est, Sanctum hunc Spiritum Deum esse cum Patre, & Filio confitendum; nam quis hæc alius ageret, nisi Deus, ut Romanus homo, Parthus quoque, & Medus, & Phrygius, omnisque Barbarus linguam suam in Judæa peregrinus audiret, & vir Galilæus arcana Cœli non solum decore Græci, Romanique sermonis, sed etiam stridulo murmure, gementique conatu auribus barbaris loqueretur? Olim namque cum ad cœlum ire contendens turrem sibi construeret humana præsumptio, nec contumax haberet conatus effectum, unius sermonis consortium inmissa subito linguarum varietate divisum est, ut dum alter alterum non intelligit conloquentem, omnis illa protinus impietatis fabrica solveretur. Nunc vero, ubi Deus homini ad Cœlum parat ascensum, præconibus tantæ gratiæ cunctarum datur peritia linguarum, ne cujus gentis hominem tam magnum Dei possit latere promissum, sicut ante multa sæcula Prophetico Sermone dictum est: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*. Unde manifestum est, Karissimi, omnipotentis Dei Filium, qui universarum varietate linguarum æternæ salutis voluit mysterium prædicari, non unius tantum Judaici populi, sed omnium venisse hominum Redemptorem. Et ideo, Fratres, quia bonitas Christi nullum vult perire mortalium, ab omni nos impudicitia, & iniquitate mundemus, ut in adjutorium vitæ nostræ nostra quoque benignissimus Dei Spiritus corda inluminare dignetur.

Ejusdem

SERMO XVIII.

De Pentecoste.

QUanta pro salute mortalium, Fratres Karissimi, omnipotenti cura sit Deo, quove dignationis affectu pericula miseratus humana, Diabolicam vacuaverit potestatem, hinc plenissime, & sine dubio possumus æstimare, quod & Filii sui sanguine ad Fidem nos veritatis adtraxit, & Sancti Spiritus visitatione concessa credentium corda firmavit. Christus enim nos ad vitam redemit, erigit ad virtutem, ut gratiam, quam Filio tradente suscepimus, Spiritu custodiente servemus. Videmus quidem, Karissimi, Unigeniti Dei, & Spiritus Sancti sub dispensatione mysterii beneficia esse distincta, sed eamdem in utroque voluntatem, atque unum pietatis advertimus sacramentum. Christus namque pro salute nostra de femina nascitur, sed hominem ipsum Spiritus cooperatur in Virgine, sicut dictum est ad B. Mariam: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Baptizatur etiam pro nobis in Jordane Filius Dei, sed ad glorificandum ejus baptismum, adest de Cœlis Spiritus Sanctus in columba. Usque adeo autem unum est illis propositum, unumque consilium, ut & Christus Spiritum repromittat hominibus, & Spiritus adnunciet Christum, dicente ipso Domino: *Cum venerit Paracletus, quem ego mitto vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre meo procedit, ille testabitur de me*. Alternis nimirum se invicem testimoniis prædicant, qui indiscreta se noverunt majestate regnare. Denique ut manifestius cognoscamus nulla eos penitus divisione sejunctos, ipsos Paracletus visitat, & inlustrat, quos mysteriis suis idoneos Salvator elegit. Pro omni quidem hominum genere Dominus Jesus pependit in Cruce, sed non omnibus ejus inluxisset Euangelium, nisi Sancti Spiritus dono, dum Apostolis variarum lingua-

gua-

guarum ſcientiam tribuit, Dominica Paſſio ad univerſarum gentium notitiam perveniſſet. Parthi enim, & & Medi, vel Elamitæ, & cæteræ, ſicut lectum eſt, nationes propriis apud Judæam audiunt linguis Dei magnalia, & vitæ ſuæ remedia prædicari. Quis igitur hæc, niſi vere omnipotens Deus, implere potuiſſet, ut & feræ mentes religioſam diſcerent ſanctitatem, & cœleſtem ſuſciperet barbarus ſermo doctrinam? Divino ergo, Fratres, cultu veneremur hunc Spiritum, cui plena regenerandi virtus, & peccata remittendi poteſtas eſt, ſicut inſtruit Dominus diſcipulos ſuos dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et alibi idem ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, & quorum retinueritis, detenta erunt*. Quis igitur tam demens hunc ambigat eſſe Deum, cui cum Patre, & Filio inſeparabilis gloria, & nomen eſt indiviſum, qui dominatione communi & peccantis ſuperbiam punit, & humilitatem confitentis abſolvit?

SERMO XIX.

De Ipſo Pentecoſten.

AB initio ſæculorum, Fratres Kariſſimi, per Patriarchas, ac Prophetas Filium Dei prô mundi Redemptione venturum Sanctus nobis Spiritus repromiſit; ipſe enim illum ſuſcepta novi hominis carne de Virgine naſciturum, injurias ab impiis, probra, Crucemque paſſurum, Reſurrectionem quoque ejus ab Inferis ante multa annorum millia prophetavit. Quo completo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, perfectoque myſterio, Apoſtolorum ejus corda mirifico majeſtatis ſuæ inluminavit adventu, ut cujus humilitatem prius, paſſionemque cecinerat, nunc triumphato Diabolo, & morte devicta, æternam Regni ejus gloriam prædicaret. Quem tamen Paracletum ipſe Redemptor noſter ante

non

non multos dies venturum esse de Cœlis, & a Patre mittendum adnunciavit discipulis suis. Atque ita fit, ut dum Spiritus Christum Unigenitum Dei Patris prophetat, & dum Christus a Patre venturum Spiritum repromittit, mutuaque invicem se attestatione prænunciant, unum esse, unum velle, & unum semper posse credantur. Hic est, Karissimi, Spiritus Sanctus, qui secretioris operatione mysterii uterum Virginis cœlesti fœcunditate ditavit. Hic est Spiritus, qui Baptisma Christi Domini nostri, in specie columbæ visus quidem a Johanne, sed tacitus, visitavit, nec suam credidit necessariam vocem tunc, cum Pater ipse loqueretur e cœlo dicens: *Tu es Filius meus dilectus, in quo bene complacui.* Atque hæc iccirco ita sanctarum Scripturarum testimoniis edocemur, ut personarum nobis indiscreta quidem majestas, sed distincta proprietas reveletur. Nam quantum ad Deitatis pertinet unitatem, in Verbo Patris consensus est Spiritus, & in sermone Spiritus voluntas est Patris. Quis enim Spiritum Sanctum, nisi forte aut impius Hæreticus, aut perfidus Judæus dubitet esse Deum, sine quo nec Baptismatis perficitur Sacramentum, nec remissio tribuitur peccatorum? Quis illum ita demens abneget Deum, in quem blasphemasse ita est impium, atque mortiferum, ut blasphemantis peccatum nulla venia subsequatur, pronunciante Salvatore nostro, ac dicente: *Qui dixerit Verbum in Filium hominis, remittetur ei; qui autem in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Hic, inquam, Spiritus Sanctus procedens a Patre, promissus a Filio, dona gloriæ suæ in Apostolos Christi est dignatus infundere, ita ut passiones, regnumque ejus omnium gentium sermone loquerentur. Hac profecto dignatione, ut quia omne hominum genus vocabatur ad vitam, dispensationem mysteriorum Dei totus ubique mundus audiret. Quanti illud, Fratres, miraculi fuit, quod Hebræus homo subito erumpens in verba non sua de Magnalibus Dei instruebat Græcum, docebat Romanum, alloquebatur Ægyptium, atque omnes barbaras nationes propriis

priis

priis earum linguis informabat ad fidem! Et ideo, Kariſſimi [illegible] omnipotentis Dei miſericordias imploremus, ut & nos de Deo annunciare, quæ digna ſunt, valeamus, & vos ea, quæ dicuntur, audire, & intelligere debita veneratione poſſitis.

SERMO XX.

Ejuſdem

De Pentecoſte.

INæſtimatæ bonitatis eſt gratia, Fratres Kariſſimi, quam nobis Deus omnipotens vel creando potenter tribuit, vel regenerando clementer indulſit. Creando namque præſtitit, ut vivificato in homine pulvere, operatione mirabili nos omnes, qui non eramus, eſſemus; regenerando autem contulit, ut ea, quæ prima nobis natura non dederat, nativitas ſecunda conferret. Quæ utique ſecunda nativitas per Baptiſmatis Sacramenta ſervos gignit in filios, & Cœlum Fidelibus pollicetur. Nobilis quidem prima illa hominum creatura; hæc vero ſubſequens non ſolum myſteriorum puritate nobilior, ſed & Beati Spiritus conſecratione cœleſtis eſt. Illa nativitas peccata ſuſcipit, iſta deponit. Ibi naſcendo morimur, hic vivimus moriendo. Denique ut hanc Chriſtus nobilitatem generi præſtaret humano, ſervilis pro nobis partus indigna ſuſcepit, etſi conceptione diſſimilis, ſimili tamen ratione naſcendi. In quo quidem conceptu quamvis Pater æternus adſuerit, tamen neque Matri lex mutata eſt pariendi, neque naſcenti puero defuit vagitus infantiæ. Tenuit nimirum ſuo Pater in Filio geminæ ſubſtantiæ virtutem, quatenus majeſtate virtutis ejus veneranda Puerpera unum eumdemque Chriſtum, & ut Deum conciperet, & ut hominem pareret. An non ille Dei Filius videtur eſſe conceptus, ubi carnali ceſſante germine, & homo creditur Virgineo formatus in utero, & Deus non dubitetur eſſe, qui natus eſt? Mirabilis partus Matris intactæ; ſed multo eſt mirabilius

lius Virginitatem parienti mansisse post partum. Nam, quod mirum sit dictum, caro nata de carne inviolata naturalis pudoris claustra servavit. Hæc vero tam sancta, tamque magnifica fecit ille Deus, cui omnia Cœli, terræque opera pro voluntate potestatis suæ respondent, cui incomprehensa facere, non in labore vel opere, sed in jussione consistit. Qui ut novum daret Virgini partum, illa egit virtute, qua cuncta fecit ex nihilo. Divini namque esse operis, quod Mundo huic fœcunditas Virginalis inluxit, Gabrihel Angelus missus ad Mariam revelavit dicens ad eam: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*. Sed & venerando illi Joseph dispensatione cœlesti semper sponso, nec unquam marito, Beata Maria intaminati ventris sui servans incorrupta signacula, non filium, sed Dominum parturivit. Cui Joseph dictum est ab Angelo: *Quod in utero habet Maria, de Spiritu Sancto est*. Et ideo hoc ipsum in aures Patriarchæ vox Angelicæ attestationis intonuit, ne forte tanto miraculo stupentis juvenis animum sinistræ suspicionis macula vulneraret, & femineam putaret culpam, ubi mirandum Angelis Sacramentum, ubi salutare nobis mysterium nascebatur. Nec poterat, Fratres, aliter Sponsus ille innocens, atque solicitus tantam fructificantis uteri credere novitatem, nisi eidem pariturae sponsæ pudicitiam virginalem missus ab alto prædicasset adsertor. Sanctus itaque Spiritus, sicut legitur, in utero Virginis Unigenito Patris univit hominis carnem; univit, non artificis figurantis ingenio, sed majestate formantis, quem Spiritum vere esse Deum virtus, & veritas novi operis attestatur. Nam quomodo in illa salutis nostræ fabrica idem in conceptione Christi, ubi Pater non deerat, ubi inerat Filius, ubi caro nostra divino consortio jungebatur, idem Spiritus velut auctor adseritur, nisi esset illi eadem cum Patre, & Filio & in natura potestas, & in voluntate communio? Videtis itaque, Fratres, quia cooperator Dei, nisi Deus esse non poterat. Erat enim ut est Spiritus Sanctus & indivi-

vi-

visus a Patre, & *inseparatus* a Filio. Quibus utique sicut sacræ lectionis fidelis sermo nos edocet, non est in virtute distantia, sed in operatione distinctio. Ait namque de eo Christus discipulis suis dicens: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritus veritatis, qui a Patre meo procedit, ille testabitur de me.* Item de se ipso ait Salvator: *Ego sum via, veritas, & vita. Ego sum*, inquit, *veritas*; si ergo Filius, qui veritas est, Spiritum esse adserit veritatis, quis illum negare poterit Deum, nisi qui veritati de veritate non credit? Itaque Spiritus verus est Deus, quem Christus & a Patre procedere, & a se esse mittendum pari professione testatur. Mittit autem Dei Filius Spiritum Patris sui; mittit, non quasi obedientem præcepto, sed mysterio concordantem. Et ob hoc ipse Spiritus procedens a Patre legitur missus a Filio, ne aut aliud esse, quam Pater est, aut quicquam diversum velle, quam vult Filius, crederetur. Propter quod, Fratres, sine cunctatione clarescit, unam esse Patris, & Filii, & Spiritus Sancti voluntatem. Quandoquidem & Filius mittit, quod Patris est; & Pater, quod suum est, impertit, ut a Filio dirigatur. Hic igitur Spiritus unum cum Patre, ac Filio Redemptionis nostræ peragens Sacramentum, universarum gentium linguis majestatem Christi mittentis adnunciat, non ut superiori officium deferens, sed imperium conregnantis insinuans. Qui idcirco Apostolis dedit varietatem linguarum, ut per eos doctrina salutaris Fidei populorum omnium penetraret auditum. Erat revera ipse Paracletus in sermone multiplex, omnipotens in virtute, diversus in singulis, & unus in omnibus. Miratur omnis auditor os gentis extraneæ non extraneum proferre sermonem. Stupet & ipse, qui loquitur, ab ore suo non sua verba procedere. Et perinde factum est, ut dum sermo varius unam per multos loquitur fidem, ad unius Fidei societatem gentes dissonæ convenirent. Et ideo, Fratres, declinantes vana Mundi, & brevissimæ hujus vitæ oblectamenta calcantes, illum jugiter sapiamus, atque ipsum semper loqua-

mur,

mur, qui mortalibus cœlestia sapere, & terrenis loqui divina concessit. Cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

De quinque panibus, & duobus piscibus.

DE Feriarum votiva solemnitate solet dulcius esse quod remanet, & suavius sapere consuerunt reliquiæ de magno convivio, quæ supersunt. Unde & nos celebrantes Dominicum Natalem, libentius debemus excipere ea, quæ nobis de apparatu sunt amplissime reservata. Non enim reliquiarum possumus timere fastidium, quia epulæ Salvatoris semper sunt integræ, semper sunt inlibatæ, nec contaminatione aliqua minuuntur. Sed cum ex illis quicquam decerpseris, rursus vigore cęlesti in sui gratia renovantur. Magnus ergo cibus, ubi & sumis, quantum volueris, & integrum remanet omne, quod sumpseris. Scriptura enim divina ejus vigoris est, ut cum plurimum de ea dixeris, supersit tamen amplius, quod dicatur, ita ut quantum sese in profundum disputatio prædicantis extenderit, in tantum mens sancta altitudinem inveniat disputandi. Unde ait Apostolus: *O altitudo divitiarum & scientiæ, & sapientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Non igitur timere debemus, ne post tam grande convivium fastidium, famemque patiamur. Totum quidem pro devotione expendimus, sed pro gratia totum remansit; & ne mirum sit, quod dixi, expensis omnibus omnia remansisse, recordamini Scripturæ Euangelicæ, quæ nuper est lecta, & invenietis quod plus aufertur de mensa Domini, quam infertur. Quinque enim panes inlati sunt, & duodecim fragmentorum cossini sunt relati. Plus ergo inveniunt, qui reliquias colligunt, quam detulit, qui cibum convivio ministravit. Denique saturatis quinque millibus virorum vix duodecim Apo-

sto-

ſtoli duodecim coffinos ſuſtulerunt, quod unus puer manu, antequam aliquid expenderetur, attulerat. Ita panis in manu Domini multiplicatur, dum frangitur; creſcit dum minuitur; dum erogatur augeſcit; atque utiliore diſpendio creatura cibi populos paſcit, & proficit; creſcit in ore comedentium, quod minus eſſe putabatur in manibus miniſtrorum. Denique ait S. Andreas: *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes, & duos piſces*, & reliqua. Mirum igitur in modum benedictione Chriſti Domini panis ſolida natura fluit, abundat, exuberat, & quodam vigoris inriguo comedentibus non jam aquarum fons efficitur, ſed eſcarum. Legimus in Prophetis, quod idem Dominus potum ſitientibus de duro ſaxo protulerit. Ecce nunc eſurientibus de ſicco pane ſaturitatis fluenta produxit. Ibi petram reſolvit in fluctus, hic cibum multiplicavit in copias. Hæc igitur omnia Scripturis ſunt, ſicut dixi, Euangelicis figuraliter comparanda, quæ paucis verſiculis reficiunt populos Chriſtianos, nec aliquando deficiunt, quæ benedictione ſui paſcunt eſurientes animas, & cum ſatiaverint, plus abundant. Quis enim cum refectus fuerit mandatis Euangelicis, non his mandatis velut ditatus, gratiarum referat actionem, habens ſcilicet theſaurum, quo & ipſe ſatietur ſemper, & poſſit eſurientis alter os ſaturare?

SERMO XXII.

Ejuſdem.

QUantorum mirabilium operator ſit Dominus N. J. C., intelligere poſſumus ex hac Euangelica lectione, quæ deſcribit tanta per eum beneficia &c. *Editus eſt inter Sermones S. Ambroſii.*

SER-

SERMO I.

In Natale S. Johannis Baptistæ.

Solemnitates nobis diversorum Martyrum, Fratres Karissimi, vitæ præsentis occasus &c.

SERMO II.

De Eodem.

Cunctorum quidem Prophetarum, Fratres Karissimi, veneranda recordatio est &c.

SERMO III.

De Eodem.

Festivitatem præsentis diei, Fratres Karissimi, venerandi Johannis Baptistæ genuina nativitas est &c. *Sunt editi hi tres Sermones inter S. Maximi opera.*

SERMO IV.

De S. Johanne Baptista.

Religionis, devotionisque nostræ ratio exigit, Fratres, ut hodie de Beatissimi Johannis Baptistæ nativitate lætemur, qui prædestinatus a Deo humani generis lætitiam, & Cœli gaudium prædicaturus advenit. Hic est, de cujus ore adesse Redemptorem nostrum, adesse Agnum Dei, nova voce mundus audivit, qui ut tanti mysterii indubitatus & nuncius esset, & testis, despe-

desperantibus de successione parentibus per Angelum promittitur nasciturus. Quis autem prudentium non credat, eum divina adnunciasse mysteria, in quo procreando curam perviderat fuisse cœlestem? qui cum necdum esset filius, imperfectusque adhuc in utero gestaretur; prærogativa tamen indultæ sibi gratiæ æterno gaudio viscera materna supplevit, & felicitatem dudum sterilis ventris ante partum suum beata Mater agnovit? Ait enim, sicut lectum est Helisabeth ad Mariam: *Ecce ut facta est vox salutis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudium infans in utero meo. Et unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me?* Non mirum, dilectissimi, si anus hæc præscientiæ ditata est munere, quæ Altissimi Dei erat paritura præconem. Facta est autem sterilitate sua gloriosior, quæ dum ejus differtur fœcunditas, dono partus unius honorem totius posteritatis obtinuit. Quæ dum velut infructuosa viro suo usque in ætatem ultimam congemiscit, subito non sibi tantum filium, sed universo mundo salutis æternæ nuncium parturivit, & hujusmodi nuncium, ut priusquam prodiret ex utero, privilegio jam futuri ministerii maternæ linguæ Prophetalem Spiritum propinaret, atque os Zachariæ Patris, quod incredulitas clauserat, prædicti per Angelum nominis sui virtute reseraret. Conticuerat enim Zacharias, non ut mutus remaneret, sed ut divinitus ei loquendi usus redditus cœleste testimonium Prophetico perhiberet infanti. Ideo autem Sacerdos, qui universæ plebi loquebatur, obmutuit, ut quia publica erat taciturnitas Sacerdotis, ad totius populi notitiam sacratæ nativitatis mysterium perveniret, & non credere ei nullus auderet. Quem quia nasciturum dubitaverat Pater, vindictam taciturnitatis incurrit. Ait etiam Euangelista de eo: *Non erat ipse lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Non erat quidem lux, sed erat totus in lumine, qui testimonium meruit vero lumini perhibere. Et ideo, Fratres, ob honorem Beatissimi Johannis hunc nativitatis ejus diem omni cum exultatione celebremus, qui ad

 pro-

propellendas Mundi tenebras, sempiternum Cœli lumen, & ante omnes agnovit, & primus ostendit.

SERMO V.

De S. Johanne Baptista.

MUltis, magnisque virtutibus, Fratres Karissimi, Deus, ac Dominus noster concurrentium ad se populorum animos, fidemque confirmat, qui electorum suorum non solum laudabilem vitam, sed etiam nativitatem fecit esse mirabilem, sicut de B. Johanne Baptista decursa Euangelii lectione cognovimus, cui tanta indulta est prærogativa nascendi, ut Propheticis, atque Euangelicis prænunciaretur vocibus nasciturus. Aut quomodo non omnibus erat mysteriis consecrandus, qui veniebat pro redemptione deficientis mundi Sacramentorum Dominum revelare? Concepit ergo eum, sicut audistis, de justissimo viro senissima, & sterilis femina, ut ex multiplici disperatione & nascentis pueri gloria, & potentia operantis Dei magnificentior appareret. Hic est, de quo prædictum legimus per Prophetam: *Vox clamantis in deserto*. Et ideo Zacharias Sacerdos sub sententia Angeli increpantis obmutuit, quia promissi magnitudine conturbatus futurum se patrem adnunciatæ vocis esse non credidit. Quod quidem magna Dei dispensatione factum esse perspicimus, ut universa Judæorum plebi, dum causam tanti silentii percunctatur, procreandi pueri disceret veritatem, & sanctæ conceptionis secretum magni Pontificis taciturnitas publicaret. Indicitur ergo silentium patri, ne præco cœlestis verbi per silentium nasceretur; quamquam altioris in hoc mysterii arcana pandantur. Nam in illo silentio Sacerdotis, adventante utique Christi gratia, & se veritas antiquæ legis obmutuit, & ritus omnis carnalium conticuit victimarum. Sed tamen ne quid in B. Johanne non esset mirabile, linguam patris, quam concipiendus vinxerat, natus absol-

absolvit, ut beatissimus senex, qui inter officia veterum traditionum usum sermonis amiserat, innovata per filium voce, nova mysteria prædicaret. Nec mirum, si hæc tam stupenda miracula per illius merita provenerunt, quem tanta Dei comitata est gratia, ut de adventu Christi mensuram humanæ conceptionis egressus intra viscera adhuc materna gauderet. Ait enim, sicut audivimus, Helisabet ad Mariam: *Ecce ut facta est vox salutis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudium infans in utero meo*. Tanta enim illum, etiam cum formaretur, jam virtus agebat, ut ad documentum Cœlestis mysterii, quod prædicaturum se humano generi sentiebat; nativitatem suam Prophetalibus indiciis præveniret. Quid ergo miramur, si Johannes venientem Christum ad Baptismum suum absque ulla hæsitatione cognovit, si cum necdum ipse prodisset in lucem, Virginali eum in utero adesse præsensit? Quæ vero eum intra alvum maternam exultatio commovisset, clarissima postmodum voce testatus est dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Propter hanc vocem, Karissimi, omnia illa, quæ audistis in Johanne, præmissa sunt Sacramenta, propterea illius gloriosa conceptio, & vita est laudabilis præparata, ut de ore tam sancto absolutionis suæ vocem mundus audiret. Quam pulchre autem Christum Dominum nostrum Agni vocabulo nuncupavit, cujus solius sanguine placandus erat Deus, & universa redimendæ mortalitas! Dignum ergo est Fratres, ut pro honore tanti viri devotissimis semper Festivitatibus exultemus, qui uno pariter testimonio & præsentiam Domini prodidit, & imminentis ejus remedia prophetavit.

SERMO VI.

De S. Johanne Baptista.

CONceptio, atque Nativitas venerandi Johannis Baptistæ, quæ nunc Euangelica lectione decursa est, nativitatem Dominicam, cujus secretum mens humana non concipit, testatur esse credibilem, & fructus senilis ventris edocet fœcunditatem Virginalis uteri non negandam. Nam quis revera renuat credere nativitatem nascentis Christi, quandoquidem de vetustis parentibus procedit desperata successio? Ibi de senibus Propheticus editur puer, hic vero de Virgine Dominus nascitur Prophetarum. Ibi disceptatio de senecta duorum est; hic autem de unius puellæ Virginitate miraculum. Nec sane mirum, si illa sterilis, & hæc Virgo concepit, quia ibi salutaris mysterii nuncius, hic ipsum vitæ nostræ mysterium nascebatur. Ibi temporalis lucerna resplenduit, hic Sol perpetuitatis inluxit. Inde Johannes Propheta, & plusquam Propheta legitur natus, hinc autem novus homo, & plusquam homo salus omnium Christus advenit. Plus utique est quam Propheta, Johannes, qui & lucem mundi hujus ab aliis prophetatus ingreditur, & Christum Dominum materno prophetat in utero, eumdemque celebrato ejus Baptismo non solum ore prædicat, sed etiam ad plenitudinem testimonii circumstantibus populis velut digito monstrante consignat dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*. Plus autem quam homo est Christus, immo magis homo, & Deus, & Christus. Plusquam homo est Christus, quia idem ipse Verbum, & caro unus est Dominus, atque unus idemque æternus, & novus est; æternus a Deo, novus a femina. Ibi incomprehensibiliter genitus ab ingenito; hic mirabiliter natus e Virgine. Ibi paterna majestate editus, hic Spiritus operatione formatus. Ibi simplex in genitore natura est; hic gemina in Redemptore

sub-

substantia. Ibi totus impassibilis a Patre suo Deus est; hic autem tantus processit a matre, ut & pati non possit. Pati enim poterat, sicut & passa est caro nata de carne, & pati non poterat Deus natus in carne. Edidit namque nobis per uterum Virginis Deus carnem, & caro Deum. Nec ambigendum, Fratres, si ille Deus potuit esse, quod voluit, qui omnia, quod voluit fecit. Neque cunctandum si Dei Filius potuit hominem sibi sociare passibilem, quem poterat Passionis triumpho impassibilitatis gloria coronare. Si novum fuit, quod Deus est natus in terris, multo magis est novum, quod homo regnat in Cœlo. Quibus inspectis perfectam gloriosissimi Johannis Baptistæ beatitudinem comprobamus, quem in tantam sublimitatem dignatio cœlestis evexit, ut mysterium salutis nostræ terris, cœloque mirabile, & necdum natus prophetare meruerit, & natus ostendere. Erat enim tunc Johannes dispensatione divina acerbus ad partum, maturus ad gratiam; nam qui nativitati propriæ nondum videbatur idoneus, ortus Dominici factus est idoneus prædicator; cumque naturali lege totum adhuc hominem venter maternus includeret, jam tamen spiritum nascituri filii læta matris lingua prodebat; ait enim Helisabeth, ut lectum est, ad B. Mariam dicens: *Ecce ex quo facta est vox salutis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudium infans in utero meo*. Intendite, Fratres, quanta Beatis illis matribus conlata sunt munera, quibusque miraculis pariturae feminæ decorantur. *Infans*, inquit, *exultavit in utero matris suæ*; exultavit, ut pariter & suum meritum, & Virginei ventris gloriam revelaret. Nam inspirante Deo anilis ille uterus sensit adventasse Dominicum ventrem, novoque gaudio mortalibus nunciat, quantam mundo lætitiam Christus nasciturus inferret. Quis non stupeat, Fratres, quod inter ministeria redemptionis humanæ, mirantibus matribus, nondum nata gaudet infantia? Nascitur inter hæc Johannes, & Christum nativitate præcedit, quatenus Domino suo, quem intra materna viscera per gaudia celebrabat, exhiberet famulantis obsequium. Hic ergo est

 Johan-

Johannes; de quo dictum est a Propheta: *Vox clamantis in deserto: parate viam Domino*. Clamabat in solitudine, ut corda mortalium incredulitatis squallore deserta ubertate Prophetici sermonis excoleret. Hic est Angelus missus ante faciem Christi, qui populorum pectora monitis vitæ sanctioris instructa Salvatoris adventui Doctor solicitus præparavit. Hic est ille Baptista, qui Dominum suum ob hoc baptizare meruit, ut sese magis dilui baptizati sui virtute sentiret. Hic est præco Regis æterni, qui terris adesse Agnum Dei, ipsumque mundi peccatum tollere, sua quidem lingua, sed Deo loquente clamabat. Hic est, pronunciante Domino, inter natos mulierum major; & vere major, quia Dei Filium, ut Propheta, præloquitur, ut Præcursor antevenit, ut Baptista suscipit, ut testis ostendit. Et post omnia, hic est ille, quem nulla indumentorum oblectante mollitie, cameli texta de pilis asperior tunica vestiebat, neque eum ulla voluptas epularum suavior, aut edacis gulæ temptamenta capiebant, sed tamquam vere censorem faucium suarum, & jejuni ventris Dominum per deserta gradiens arida locusta pascebat. Mel etiam sylvestre legitur manducasse, ut advertamus, eum non cibo humana solicitudine præparato, sed pastu simplici, & inlaborata vixisse substantia. Et hæc ideo, ut arbitror, Fratres, ne adsertorem justitiæ a præconio veritatis aut speciosior vestis abduceret, aut oblectatio depravaret escarum. De hac profecto magnanimitate descendit, quod dum Herodem Regem de concubitu fraternæ conjugis confidenter incusat, nec gloriosam subire mortem, nec mundi lucem spernere formidavit. Neque tristis hanc vitam reliquit, quia semper custodiens Prophetalem rigorem, numquam penitus fuerat fallacis sæculi suavitate mollitus. Propter quod patientissime præcepto Regis injusti capite truncatur in carcere, qui, fortissimi obitus præmio remunerante cœlestis imperii Rege, & caput se suum recepturum noverat, & salutem.

SER-

SERMO VII.

De S. Johanne Baptista.

SAncti Johannis Baptistæ natalem hodie prosecuturus tacere velim &c.
Est editus inter Opera Sancti Ambrosii.

SERMO VIII.

De S. Johanne Baptista.

DIximus superiore Dominica, cum silentii nostri veniam peteremus &c.
Est editus inter Opera S. Ambrosii.

SERMO IX. *Ejusdem*

De S. Johanne Baptista.

IN Sancti ac Beatissimi Johannis Baptistæ laudibus, cujus natalem hodie celebramus &c.
Est editus inter Opera S. Ambrosii.

Hic deest pagina, deinde fragmentum hoc subsequitur:
. . . . *sum via, veritas, & vita.* Eadem ergo die Johannis celebramus Natalem, qua & messis initia procuramus. Magna utraque Nativitas, quæ & inopiam viscerum repulit, & famem abstulit peccatorum. Inde me jam tabida lues non macerat, hinc pestilens conscientia non absumit, refectionem pariter sentio sensibus, atque visceribus, immo ipse Johannes messis nostra est; nam de Prophetia ejus fructum salutis emittimus, & de verborum ejus tamquam gravi culmo granum salutis adsumimus. De quo grano in Euan-

 gelio

gelio scriptum est: *Nisi granum tritici cadens in terram morietur, ipsum solum manet*. & reliqua.

Quatuor subsequentes Sermones sunt editi inter opera Sancti Maximi.

SERMO I.

De Natale Apostolorum Petri, & Pauli.

GLoriosissimos Christianæ Fidei Principes annuis solemnitatibus honorantes, Fratres Karissimi &c.

SERMO II.

De Eodem.

APostolici Natalis gaudio, Fratres Karissimi, Petri, & Pauli, quorum hodie beatissimis passionibus jucundamur &c.

SERMO III.

De Eodem.

BEatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, inseparabilem fidem, passionemque germanam &c.

SERMO IV.

De Eodem.

BEatissimorum Apostolorum passio, Fratres, quorum hodie natalem solemniter celebramus &c.

SER-

SERMO V.

De eodem Natale Apostolorum.

NEcessarie, Fratres Karissimi, de Venerabilium Apostolorum passionibus, atque obitu Patrum nostrorum annua festivitate lætamur, quia fiducia Christianæ Fidei credimus, eos tormentis suis indeptos esse gloriam, & perpetuitatem vivendi vitæ suæ fine quæsisse. Quis enim dubitet, illos suo regnare cum Domino, qui sequentes ejus vestigia mortem moriendo vicerunt, aut quomodo non manifestum est apud illum Regem in cruciatibus esse victoriam, cui triumphus in Cruce est? Elegerunt itaque Ecclesiarum Principes ob honorem Fidei patienter occumbere, quos auctor vitæ præmisso suæ mortis exemplo mortem docuit non timere. Lætemur ergo, & exultemus, gloriosissimos Patres nostros obisse pro Christo, quia qui * primitus pro æterno ipso cruoris sui censu vitam sibi mercatur æternam. Æternitatis enim mercatus agitur, ubi non pecuniæ quantitas, sed sanguis fidelis in pretio est, ubi sic mors adimit vitam, ut inlatæ morti immortalis vita succedat. Et ideo, Fratres, cui amore Christi exosus est mundus, mundum non invitus amittit, sicut dicebat Beatissimus Paulus. *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Quam pulchre ait: *& mori lucrum!* quoniam qui Christo vivit, si pro Christi honore moriatur, Cœli sibi regnum damno præsentis lucis adquirit. Mori namque pro Christo regnare cum Christo est. Qui religiosam mortem in lucrum sibi reputat, ostendit se morte sua proficere, non perire. Nam & Dominus, & Salvator noster ait: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Quid hoc est, Karissimi, qua ratione amissa semel anima suo poterit ab homine reperiri? Poterit, Fratres, poterit non ratione, sed Fide. Poterit sine dubio, quia resurrectionis beneficio reparato corpori anima servata reddetur.

Quod

Quod enim Deo possibile est facere, homini non est possibile cogitare, ut ait futurorum conscius Paulus Apostolus. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum.* Dicendo ergo Dominus: *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, ostendit in illa adventus sui gloria, in quo omnis homo substantiæ suæ statum, vitamque recipiet, animæ nostræ corporisque consortium formandum; homo enim anima, & corpus est unum; sine altero disjuncta, ac dissipata natura est. Si removetur corpus, * amittit. Cum ergo dicitur: *Qui perdiderit animam suam, inveniet eam*, revelatur nobis, cum secundum Dei nostri fidele promissum renovabitur mundus, & animam corpori, & corpus animæ esse reddendum. Ideo & Salvator dicebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest animam, & corpus perdere in Gehenna.* Itaque potestas disperdendæ animæ ostendit in Christo reparandi hominis potestatem. Nec miremur, Karissimi, si perfidiam sævientis sæculi Paulus gladio, Petrus cruce damnarunt, quorum Dominus ipsum mundi Principem mirabilibus terruit, increpationibus arguit, passionibus triumphavit. Invenit quippe in eis Diabolus quod possit occidere, non tamen invenit, quod posset tenere captivum. Et quid mirum, si perimitur gladio servus occisi? Quid mirum si in crucem tollitur discipulus Crucifixi? Qui secuti sunt patientis exemplum, consecuti sunt regnantis imperium. Adsumpsit ergo Christus Petrum, & Paulum, unum piscantem, alium persequentem. Et Petro quidem regni sui claves, Paulo verbi sapientiam dedit. In utroque opus mirabile. In utroque Dei omnipotentis est gratia, ut & fidem adsereret persecutor, & Cœlum piscator aperiret. Nec incredibile hoc, quoniam qui aquam produxit e petra, Ecclesiam fundavit in Petro. Qui adorare compulit Magum, persecutorem docuit prædicare. In his duobus, Karissimi, quantum exiguis sentire fas est, gemina Ecclesiæ forma, & humani generis diversitas figuratur. Petrum namque com-

commendat ſimplicitas, Paulum doctrina ſublimat, ut advertamus in Eccleſia Dei & ſcientiam eſſe neceſſariam, & ſimplicitatem eſſe dilectam. Simplicitatem autem dico non illam, quæ ignaviæ ſtupore torpeſcit, ſed illam quæ vigilanter incedens prodeſſe aliis noverit, nocere ipſa non poſsit, ut in uno eodemque ſit homine cauta ſimplicitas, & benigna prudentia, ſecundum illud quod dictum eſt: *Eſtote ergo aſtuti, ut ſerpentes, & ſimplices, ut columbæ*. Nam ſimplicitatem Petri & vigor vivacisſimæ mentis armabat, & ſpiritalium conſiliorum providentia muniebat. Simplici utique prudentique corde Petrus erat, cum Incarnationis Dominicæ Sacramentum non inquirendo confeſſus eſt, ſed credendo, dicens. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Qua confeſsione, Kariſsimi, & profuit univerſis, ut ſimplex, & opiniones non recte credentium repulit ut aſtutus. Igitur Doctrinæ gratia Cœlum Paulus ingreditur, ſimplicitatis merito aperiendi Cœli Petrus accipit poteſtatem. Hæc nobis idcirco, Kariſsimi, ut intelligamus, a fide Dei noſtri nec doctos repelli, nec ſimplices refutari. Quantum autem fidei veritas habet, manifeſtum eſt omnibus, ſimplicitatem Petri habuiſſe Paulum, ipſique Petro Pauli prudentiam non defuiſſe. Nam utrumque idem Spiritus edocebat. Hac ratione, Kariſsimi, & Paulus petra eſt Chriſti, & vas electionis eſt Petrus. Uterque enim velut cœleſtis lapis fortitudinem præſtat infirmis, uterque velut vas electum ſitientibus fidem Chriſti ab æterno fonte vitalis poculi fluenta profundit. Et ideo, quia una illis fides, una gloria, unus victricis paſsionis eſt dies, una utrumque devotio populorum omnium plena confeſsione veneratur.

SER-

SERMO VI.

De eodem Natali.

EXultemus, Fratres, & gloriemur in Domino Deo noſtro, quia Apoſtolorum Natalis Eccleſiæ eſt nutrimentum; ſicut enim parvulus quiſque materni uberis lacte nutritur, ita tunc Eccleſiæ conſurgentis infantia paterni ſanguinis ubertate convaluit. Nam ex quo benedictionem fœcundi cruoris ſterilis terra ſuſcepit, innumera exinde per univerſum orbem multitudo credentium pullulavit. Quis ita demens Chriſtianæ Fidei ineſſe abneget veritatem, quam triſtitiæ non fatigant, ſupplicia non conturbant, neque ullus corporeæ mortis terror inclinat? Cui etiam in ſempiternum gaudium perſequentum tormenta proficiunt, cujus regnum per æternam, invictamque potentiam mundanis dominatur imperiis. Ut autem plenius advertamus, quanta ſit cœleſtis Regni, terrenique diſtantia, documenta nobis de præſentibus capiamus exemplis. Ecce Reges prætereuntis hujus ſæculi devotionem erga ſe militum ſuorum in hac tantum vita honoribus, muneribuſque conſervant, nihil penitus habentes, quod poſſent ſuis, ſibique præſtare poſt mortem. Chriſtus autem, Rex omnium ſæculorum, electos ſuos labore, nuditate, fame, cruciatibus, morte inſuper remittit adfligi; quia poteſtas ei eſt ſuſcitare defunctum, ſpoliatum præſenti vita Regni ſui luce veſtire, & remota lege mortis, perpetuitatem dare mortali. Quod autem nonnumquam a fidelibus viris Regum præmia renuuntur, quod eis abominatæ ſunt omnes ſæculi dignitates, quod ut vanum reſpuunt quidquid illis hic mundus obtulerit pretioſum, ſpes illa omnimodis facit, quia per gratiam Chriſti ſui potiora ſibi quandoque præſtanda fides ſervata præſumit. Quis non ſtupet in voluntate Chriſti eſſe hoc tam mirabile Sacramentum, qui Sanctis ſuis ſic ſua promittit præmia,

ut

ut eis tormenta præmittat; sic futuræ vitæ prædicat caritatem, ut præsentem doceat non amari? Hic religionis est veritas, ubi tristitia gaudium gignit, ubi inops nuditas incorruptionis vestimenta prætexit, ubi decorari gloria, ubi exuri refrigerium, ubi occidi triumphus est. Hæc est mors, Karissimi, si modo fidem nostram Sancti Spiritus erigat, & confirmet auctoritas, quam pueri non renuunt, juvenes non declinant, maturiores eligunt, senes ambiunt, feminæ non paverunt. In passione enim Martyrii, ubi Fides firmior regnat in homine, sicut sæpe jam factum est, nec ætas ulla se subtrahit, nec sexus excusat. Ibi, Fratres, ibi prætenditur infirmitas corporis, ubi Fides non habet firmitatem. Ideo gloriosissimus Petrus stabilitate Fidei suæ omni firmior petra, dum Christi Crucem prædicat, suam vicit; nec timuit crucifigi, quia Crucifixum timuit, & amavit. Passus ergo est Petrus, ut optimus servus pro Domino, ut fidelis discipulus pro Magistro, & ut pro commissis sibi ovibus Pastor electus illius ad mortem secutus vestigia, cujus semitam sequebatur ad vitam; & quia consimilem Regis sui subjit passionem, cœlestis Regni clave suscepta similitudinem regnantis suscepit. Aut quomodo ille vitæ propriæ timeret occasum, qui probaverat Christum suum regnare post mortem? Quomodo refugeret crucem, qui in corpore Domini sui redeuntis a mortuis beatæ Crucis signa cognoverat? Quomodo crucifigentum vulnera recusaret, qui Redemptorem Mundi clavorum vestigia portasse secum sciebat ad Patrem? Ille pro suo Domino obitum formidaret, cui ipse vitæ auctor & mortem, & genus mortis præ scientiæ suæ ore prædixerat, ita dicens: *Cum esses junior, cingebas te, & ibas quo volebas; cum autem senueris, alius te præcinget, & ducet, quo tu non vis.* Hoc est dicere: cum esses junior, Petre, manus te propriæ ministerio succingens, tuam sequebaris in omnibus voluntatem. Cum autem senueris, manus te cinget extranea, & ducet quo tu non vis, ac juventutis tuæ libertatem mutabis in servitium senectutis. *Ducet*, inquit, *quo tu non vis*. Numquam nole-

nolebat Petrus pati pro Domino suo, cui ante jam dixerat: *Animam meam pro te ponam*. Volebat quidem ut devotus mori, sed quia velut ultro morti se ingerebat; quandam præsumentis habere videbatur audaciam; nam qui ut infirmus mori non vult, & idem ut confortatus a Deo non refugit passionem pariter in semetipso; & trepidæ carnis ostendit affectum, & fidelis animi implet officium. Igitur ubi Apostolus sponte morti se offerebat; ibi timuit mori, & ubi nolens est ductus ad crucem, non timuit crucifigi, quia illic humana fatigabatur infirmitas, hic cœlestis spiritus fortitudo vincebat. Omnis enim nostra devotio si quasi suis viribus fidat, continuo ut infirma lassescit. Si vero quis prece supplici divinæ gratiæ boni sui propositi commendet effectum, nulla illum cogent sæculi hujus adversa nutare. Cavendum itaque, Fratres, ne quid virtuti, prudentiæque nostræ de his, quæ recte gerimus, adrogemus docente Domino Apostolos suos, & dicente. *Quia sine me nihil potestis facere*. Qua sententia præmonente ab ipso nobis speranda sunt omnia. Cuncta etiam, quæ prospere veniunt, illius reputanda muneribus, sine quo, ut ipse dicit, nullum penitus votorum nostrorum possumus habere successum. Denique quando præsumpsit Petrus dicere Domino: *Animam meam ponam pro te*, non longe post puellæ interrogatione turbatus respondit nescisse se hominem. Propter quod flevit amarissime; & ubi ait Christus Petrum ducendum esse, quo nollet, ibi victoriam triumphalis Passionis obtinuit. Non ergo est reprehendendus Apostolus, si pro Christi honore animosius optabat & mori, quia præsumptio illa, quæ de fervore Fidei venit, etsi laudabilis non videtur, magnam tamen habet ad Dominum ex ipsa conscientiæ suæ devotione fiduciam. Verum propter cautelam fidelium suorum, nostræque infirmitatis perfugium dicebat Salvator discipulis suis: *Si vos persecuti fuerint in Civitate ista, fugite in aliam*. Hoc est dicere: declinate quidem passionem, ne forte per tormenta vincamini; capti tamen nolite cedere persequenti;

volo

volo enim ſervos meos mortem nec expectare, nec timere, quatenus ineſſe vobis ſapientiam, nec deeſſe fidem ſtultus perſecutor agnoſcat; quia mortem non vitare, cum poſſis, temeritatis eſt vitium, perimenti autem non cedere fortitudo credentis eſt. Habet hoc ratio, & virtus Fidei noſtræ, ut in confeſſione Chriſtiani nominis nec optemus mortem, nec timeamus occidi. Sic ille Vas electionis glorioſiſſimus Paulus, ne a Gentilibus vel virgis macularetur, clamabat civem ſe eſſe Romanum, & injuriam corporis ſui ſæcularium legum præſcriptione ſubmovit, ereptumque ſe de periculis, ac mortibus ſcripta exultatione gaudebat. Quod ſi ut curioſus inquiras, cur privilegio Gentium ſeſe tuebatur Apoſtolus, ſcito hoc Apoſtolici fuiſſe conſilii, ut illos, qui Dei noſtri reverentiam non habebant, propriis eorum legibus territos confutaret, nec data ſibi a Domino poteſtate voluit in eos exercere vindictam, qui ſe miſſum ad ſalutem noverat perſequentum. Nam quid virtus poſſit Apoſtoli, ſenſit Magus ille cęcatus, & de muliere divinante Piton probavit ejectus. Sed tamen ubi diſpenſatione Dominica tempus ei paſſionis advenit, confidenter Gentili ferro fidelia colla ſubjecit, & qui dudum verbera reſpuebat, gladium non refugit. Hæc enim ſancta, perfectaque menſura credendi, hæc inreprehenſæ devotionis eſt ſanitas in certamine Fidei & nolle mori, & patienter occumbere, quia Deus noſter non mortem noſtram requirit, ſed illam mentem, quam mors ſuperare non poſſit.

SERMO VII.

De Eodem.

NAtalem Beatiſſimorum Petri, & Pauli hodie celebrantes diverſis epulis &c.

Eſt editus inter opera S. Ambroſii.

SER-

SERMO VIII.

De Eodem.

NOtum omnibus vobis eſt, Fratres, & univerſo mundo notiſſimum, quod Beatiſſimorum &c.
Editus inter Opera S. Ambroſii.

SERMO I.

In Natale S. Laurentii Levitæ, & Martyris.

BEatiſſimi Laurentii Martyris, cujus natalem hodie celebramus, paſſionem noſſe vos credo &c.
Editus inter Opera Sancti Ambroſii.

SERMO II.

De Eodem.

SAnctum eſt, Fratres, ac Deo placitum, ut natalem Beati Laurentii præcipua devotione veneremur &c.
Editus inter Opera S. Maximi.

SERMO III.

De Eodem.

SIcut Patrum noſtrorum, Fratres Kariſſimi, non incerta relatione didicimus, cum venerabilis &c.
Eſt editus inter Opera S. Maximi.

De-

Desunt quædam paginæ; & sequitur fragmentum Sermonis secundi de Sancto Cypriano.

. . . .
. . . . custodivit, pacem verbis suasit, pacem corde servavit, omniaque vitia sancto ore respuit, mente sanctiore damnavit; sic pullulantes diversorum scelerum sentes acutissimo linguæ suæ mucrone desecuit, ut magis ea inculpabilis vitæ integritate truncaret. Erat etiam, ut vere spiritalis magister, amarus vitiis, virtutibus blandus, & tranquillitatem peccatoris sui medicamento acrioris remedii condiebat, ut quos bonitatis ejus clementia minime coercebat, increpantis linguæ censura terreret. Sic acrimoniam suam admixtæ lenitatis dulcedine molliebat, ut sæpe solet unda ferventior aquæ frigidæ stillicidio temperari. Nonnullos sane animo duriores armati oris sui salutiferis jaculis sauciabat, ut quibus cura placida prodesse non poterat, spiritalia vulnera subvenirent. Et hoc peritissimi more medici, qui cum in corpore hominis lethalia altius ulcera repererit desedisse, cum bonus, atque optimus sit, velut adsumpta crudelitate, ferro adgreditur noxias emortuæ carnis desecare putredines, & summam medendi artem non parcit, ut parcat, irascitur ut succurrat, & pro ægroti sui necessitate sævitiam prætendit, ut sanet; nam & sapientissimus Salomon ait: *Suaviora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*. Hæc vita, hic animus Beatissimum Cyprianum & Sacerdotio provexit, & Martyrio consecravit. Hæc illum mentis, sermonisque perfectio clarum sæculo, & Cœlo reddit gloriosum. *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Recte, Fratres, venerabilis Cypriani pretiosa mors facta est, quam sibi a Domino Deo suo multiplici virtutum suarum pretio comparavit. Vere pretiosa mors ejus, cujus commercio hæreditatem sibi Cœli, & regnum emit æternum: Et ideo, Karissimi, tam magnificum hoc Martyrium ejus omni cum devotione, & reverentia celebremus, quia ad

omnem illam gloriam vita locuples, lingua ditissima, & mors pretiosa sublimat in Christo Jesu Domino nostro, qui cum &c.

SERMO III.

De S. Cypriano.

IN Martyrio Beatissimi Cypriani, Fratres Karissimi, universa nobiscum exultat Ecclesia &c.

Est editus inter Opera Sancti Maximi.

SERMO IV.

De S. Cypriano.

NOn immerito, Fratres Karissimi, speciali quadam celebritate frequentissimo concursu Beatissimo Martyri Cypriano præcipua exhibetis obsequia, quem & ad summi Sacerdotii apicem prærogativa vitæ præcedentis evexit, & Pontificii ejus fidele ministerium ad palmam Martyrii sublimavit. Justum revera, dignumque est, ut memoriam confessionis ejus devotiore colat Christi honore Ecclesia, cujus non minus doctrina, quam sanguine gloriatur. Quid enim apud Ecclesiasticos viros Martyre sanctius? Doctore clarius? Sacerdote sublimius? *Pretiosa*, inquit B. David, *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*. Quanta ergo, Fratres, a Fidelibus hic veneratione est honorandus, cujus non solum in conspectu Domini pretiosus occasus, sed sub abundantia Fidei & vita locuples fuit, & sermo ditissimus? Recte, ut reor, ejus vita locuples prædicatur, cujus sancta conversatio bonorum copia morum, & variarum semper virtutum est lætata thesauro. Nec incongrue illius ditissimus, ac splendidus dicitur sermo, cujus tanto lumine præfulgidum radiavit eloquium, ut

inter

inter iniquorum minas, perſequentiumque terrores Fideles erigeret, confirmaret dubios; incredulos confutaret. Neque enim ullo avocari poterat metu, quominus illam doceret Fidem, pro qua de Chriſti promiſſione ſecurus non formidabat occidi. Quæ autem Fidei ejus confidentia fuit, & virtutis! quanta conſtantia! qui non ſolum ſemetipſum contra impetum ſæculi vigore generoſæ mentis armavit, ſed complures Fidelium ſpem futuræ Beatitudinis adſtruendo mortem docuit non timere. Unde apparet, Kariſſimi, quanta inter Angelicos Choros nunc claritate reſplendeat, qui & propria paſſione eſt mirabilis, & aliorum confeſſionibus glorioſus. Tanta enim ejus fuerunt ſpiritalium ornamenta verborum, & cœleſtium ſententiarum cenſura tam vehemens, ut credentium mentes plus ejus adhortatio, quam ſævientis inimici gladius permoveret. De Beato autem Cornelio quid ego memorem? cui ad omnem hoc ſufficit laudem, quod Apoſtolicam Sedem, quam merito indeptus eſt, venerandi cruoris munere decoravit.

SERMO V.

De S. Cypriano.

QUanti meriti, Fratres Kariſſimi, Beatus Cyprianus, quantæque ſit gloriæ, & venerabile ejus Martyrium, & nota omnibus doctrina teſtatur. Nec enim extraneis eget laudibus, quem apud omnes homines magnificentia proprii ſermonis inluſtrat. Denique ut tantus ad noſtram quoque perveniret ætatem, admiranda eloquentiæ ejus monumenta fecerunt; nam dum creditos ſibi populos in obſervantiam cœleſtium mandatorum ſolitus Magiſter erudit, ſuam ad poſteros vitam, fidemque tranſmiſit. Quod ita eſſe omnis mecum ſtudioſus agnoſcit, quoniam in libris ejus advertitur, quanta in illo fuerit caſtitatis puritas, ſanctitas bonitatis, Fidei magnitudo. Nam dum peccantum vitia ſe-

vera objurgatione castigat, dum Sanctorum merita digna laude prosequitur, cœlestem inesse cordi suo aperuit disciplinam. Unde hic sine dubio ex illis est Fratribus, de quibus dictum est per Prophetam: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Exivit utique in omnem terram sonus Beatissimi Cypriani, quoniam sub universo cœlo, & Passionis ejus innotuit gloria, & clarissimæ linguæ ejus tuba personuit. Et vere tubæ modo sermonis ejus clangor increpuit, cum Ecclesiam Dei spiritali prœlio decertantem adversus minas, terroresque Gentilium sonitu cœlestis eloquii accendit, & ne videretur plebem Dei in contemptum præsentis vitæ eloquens magis quam fortis armare, mortem quam prædicando docuerat non timendam, suscepta pro Christi nomine passione calcavit; atque ita factum est, ut omnem Fidelem ad subeunda pro Religione tormenta non solum sanctorum adhortatione verborum, sed fortissimo sanguinis sui provocaret exemplo. Vere hic ab omnibus, ac toto orbe venerandus, qui tanta perfectione divinæ virtutis opus & adseruit, & implevit.

SERMO VI.

De S. Cypriano.

QUanta sit, Fratres Karissimi, Christianæ Fidei magnitudo, quæve fiducia, hinc vel maxime nos discere oportet, quod inter miranda cœlestium promissorum munera votivum nobis oritur gaudium de morte Sanctorum. Nec enim naturæ nostræ, sed Religionis est ratio, quod occasus hominis, ubi Deus est causa moriendi, Infidelium contristat mentes, & pectora Christiana lætificat. Ideo denique peremptorum Martyrum obitus in Ecclesia Dei velut genuinus Natalis excolitur, quia novo nascendi ordine ad novam Cœli vitam morte parturiente nascuntur. In hujusmodi enim morte, quæ pro veritate salutaris Fidei venit, quia vivo, ac vero

cre-

creditur Deo, ſpe ſæculi melioris pulſa procul affectatione carnali, luctum non habet pater, nec mater inclamat, filius ſuſpiria conſolatur ſua, mœrorem frater repellit, triſtitiam maritus abjurat, & dilecti conjugis calcat uxor affectum. Cedit namque, cedit terreni amoris calor, ubi Chriſtiani mentem flamma divinæ Caritatis accenderit. Hoc profecto igne ſuccenſus ardentiſsimus Cyprianus Sacerdotium, vitamque ſuam in Paſsione contempſit, ut ipſa eum paſsio glorioſiorem Chriſto redderet Sacerdotem. Quid hoc magnificentius viro, cujus non minus mors eſt admiranda quam vita? Fuit enim ei fideli in ſermone confeſsio, & mirabile in confeſsione Martyrium. Fuit in eo cordis, ac linguæ ſimplex conſenſus, atque indiviſa ſocietas; nam quidquid ori ejus cordis ipſius Spiritus intuliſſet, hoc cunctis audientibus ſancta ejus lingua dictabat, ut ait Salvator: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona*. Et quis poteſt habere bonum mortali in corde theſaurum, niſi cujus pectus Chriſtus inhabitat, ſicut docuit glorioſiſsimus Paulus dicens: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas virtutis Dei ſit, & non ex nobis*. Hic eſt, Fratres, boni cordis theſaurus, qui ſervorum Dei os bonum, & linguam divitem facit. Hic eſt theſaurus, cujus pretio omnis fidelis beatam ſibi Paradiſi ſedem, & regnum mercatur æternum. Hoc theſauro venerabilis Cyprianus unumquemque credentem proflua linguæ ſuæ largitate ditavit, nullam tamen ipſe, dum legitur omnibus, divitiarum ſuarum ſentiens paupertatem. Tanta enim theſauri hujus eſt copia, ut & totum conſequatur accipiens, & qui dederit, nil amittat, in modum lucernæ ardentis, quæ & flammam ſuam admotis ſibi lampadibus præſtat, & ipſa nihilominus ſine damno traditi luminis perſeverat. Novi, Fratres, novi miraculi res eſt, quæ habeas dare, & eadem dando non amittere; totum transfundere, & nullum ſentire defectum. Propter quod Beatiſsimus Cyprianus cunctorum eſt Fidelium devotione celebrandus, qui largiendo populis, quæ habebat, ac retinendo, quæ dederat, laudabilem vitam

suam & clarissimo sermone extulit, & pretiosissimo sanguine consecravit, quatenus universo orbi loquentis fidem virtus patientis ostenderet. Rectissime de hoc dicetur illud Davidicum: *Os ejus meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium, & lex Dei ejus in corde ipsius.* Erat utique in perfectione Sacerdotii ejus cor sanctum, os sapiens, lingua terribilis. Terribilis nimirum erat Cypriani lingua, quæ & integritatem pectoris ejus, & illa omnipotentis Dei tremenda judicia peccantibus ingerebat, qui se ita totum sancto in sermone fundebat, ut nihil penitus in secreto sui pectoris relinqueret, quod lateret. Latet autem intra semetipsum, latet peritus quisque, nisi sapientiam cordis ejus docta dicendi lingua prodiderit. Quid non in illo viro præcipuum, quid non mirabile, in cujus ore sapientia, in cujus lingua judicium, in cujus corde lex Dei, quæ justitiæ mater est, permanebat? Nec otiose, Karissimi, consequens Psalmi ipsius ordo subtexuit dicens: *Et non subplantabuntur gressus ejus.* Non sunt revera Cypriani subplantata vestigia, quia in ejus corde lex Dei viget. Qui in ore, ac lingua sua cœlestem sapientiam, divinumque judicium meditatur, gressus ejus lapsum sentire non possunt. Aut quod in illo umquam peccati tempus, quodve momentum Diabolica potest reperire subreptio, cujus os, cujus lingua per omne spatium noctis, ac diei voluntatem Dei & sapit, & loquitur, secundum illud, quod dictum est a Propheta: *Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte?* Credite, Fratres, quia numquam inter adversa hujus sæculi movebuntur ejus pedes, cujus pectus a tramite veræ Fidei non declinat. Et quia omnia virtutum genera Beatissimus Cyprianus, ut Sacerdos, ut justus, ut Sapiens possidebat, inconcusso pede consistens moveri sua in passione non potuit. Et inde est, quod ab uno eodemque viro & inoffensam recte vivendi regulam, & fortissimum Martyrii tenemus exemplum. Ille enim nos Deo vivere, & pro Deo mori non solum sermone docuit, sed & opere confirmavit.

SER-

SERMO VII.

De S. Cypriano.

ANte dies cùm Beatissimi Martyris Cyprianis celebraremus natalem &c.
Editus inter opera S. Ambrosii.

SERMO VIII.

De S. Cypriano,

SAncti Cypriani festivitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus &c.
Editus inter opera S. Ambrosii.

SERMO IX.

De Natale Sanctorum, præcipue in S. Cypriani.

QUotiensfcumque, Fratres, Sanctorum Martyria celebramus, totiens laudes Salvatoris dicimus, & quotiens eorum adserimus passiones, totiens Christi gloriam prædicamus. Non enim suspicimus, quod passi sunt, sed propter quem passi sunt, admiramur. Igitur non pœna in laude, sed Fides est in honore. Magnificamus ergo Martyres, non quia gravibus subjacuere suppliciis, sed quia justitiæ causa eadem toleravere supplicia. Nam plurimos sceleratorum pejores pœnas vidimus esse perpessos; sed nihil eis prosunt, quia Martyres causa justificat, sceleratos conscientia sua damnat. Summo igitur, & præcipuo loco propter fidem habendi sunt Beati Martyres. Videte autem, quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altario

meruerunt. Dicit enim S. Scriptura: *Vidi subtus aram Dei animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamaverunt*, & reliqua. *Sub ara*, inquit, *Dei animas occisorum*. Quid reverentius, quid honorabilius dici potest, quam sub illa ara requiescere, in qua Deo Sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos, sicut scriptum est: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*? Recte ergo sub ara Martyres conlocantur, quia super aram Christus imponitur. Recte sub Altario justorum animæ requiescunt, quia super altare Domini Corpus offertur. Nec immerito illic pro justis vindicta sanguinis postulatur, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur, & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini cotidie celebratur, sicut ipse ait: *Quotienscumque hæc feceritis, mortem meam adnunciabitis, donec veniam*. Scilicet ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sacramenti ejus mysterio quiescant. Non immerito, inquam, velut consortio quodam illic occisi est tumulus constitutus, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur, ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet. Legimus plerosque justorum Abrahæ finibus refoveri, nonnullos Paradisi amœnitate lætari; nemo tamen melius præter Martyres meruit, hoc est ibi requiescere, ubi & hostia Christus est, & Sacerdos. Scilicet ut & propitiationem de oblatione hostiæ consequantur, & benedictionem, perfunctionemque Sacerdotis excipiant. Inter cæteros igitur Martyres, quos sub ara Dei consistere prædicamus, etiam B. Cyprianus adsistit, & cunctorum vindictam facundia uberiore prosequitur; neque enim dubitandum est, eum in Martyrio plura præ cæteris exorare, qui in Sacerdotio præ cæteris plura conscripsit. Et licet cum omnibus stolam splendidæ remunerationis acceperit, tamen fortasse eloqui minus cessat, quo plus se intelligit promereri. Dicitur ergo illis vindictam postulantibus post datum munus, ut quiescant, atque sustineant, donec im-

impleatur numerus conservorum illorum, & reliqua. Videtis ergo, quoniam propter nos Martyrum vindicta differtur. Dum enim nos retardamus, horum sanguis inultus est. Sed hoc contingit nostra desidia, qui non, sicut dignum est, religiose vivimus, qui non pie, sicut congruit, operamur. Nam si bonorum operum ad Deum justitia nostra præcederet, jam conservorum numerus, qui expectatur, esset impletus. Nulli autem dubium est, vindictam post judicium Martyres percepturos, qui etiam ante judicium præmiis cœlestibus honorantur.

SERMO I.

In S. Alexandri.

CUm omnes Beatos Martyres, quos nobis tradit antiquitas, honorificentia digna miremur, præcipue tamen Sanctos Alexandrum, Martyrium, & Sisinnium, qui temporibus Nostris passi sunt, debemus tota veneratione suscipere. Nescio quo enim pacto majorem circa hos habemus affectum, quos conscientia novit propria, quam quos docet historia. Illos enim extitisse Martyres lectione, istos oculorum contemplatione cognoscimus. Illorum passiones fama nuntiante condiscimus, istorum supplicia vultus testimonio continemus. Majorem ergo affectum ibi debeo, ubi credulitatem meam mea cogit contemplatio, quam ubi fidem meam hortatur opinio. Majorem, inquam, affectum illic debeo, ubi per ea, quæ vidi, compellor devotius credere etiam illa, quæ non vidi. Nam cum audita aliquanta mihi impossibilia viderentur, cœpi ea credere potuisse fieri, dum similia facta esse conspexi. Et ideo temporis nostri Passio hoc nobis præstitit, ut præsentem conferret gratiam, & fidem præteritam confirmaret. Supra dictos igitur Beatos viros tota debemus veneratione suspicere, primum quia dies vitæ nostræ pretioso sanguine suo inlustrare dignati sunt. Deinde quod prærogativam nobis apud Deum

Deum non minimam contulerunt, ostendentes, qualis esset ætate nostra in Christianis fides, de quorum consortio existere Martyres mererentur. Tertio quod iidem tam sanctæ conversationis fuerint, ut coronam Martyrii tempore pacis invenerint. Cum enim nullus Rex persecutor urgeret, nullus sacrilegus tyrannus insisteret, fecit eos Confessores non publica persecutio, sed Christiana devotio. Nam cum in Anauniæ regione proprio sumptu Ecclesiam construentes ejus Sancto Altario præsiderent, siquidem unus ex his Diaconatus, duo Clericatus officio fungerentur, & ejus regionis homines, apud quos Christianum nomen cognitum antea non fuisset, adsueto sacrilegio, quod lustrum dicunt, loca vellent universa polluere, ac Sancti viri arguerent eos, erroresque eorum manifestanter rationabili castigatione convincerent, tunc illi inebriati plus furore, quam vino rapuerunt eos, & cæde crudelissima sauciarunt, ita ut unus ex his post multa supplicia semivivus expectaret, ac videret suæ mortis exitium; nam destructa Ecclesiæ fabrica pyram de ejus trabibus construentes flammis Beata corpora tradiderunt. Vere Beata corpora, quæ non ad pœnam Idoli funestus ignis adsumpsit, sed ad requiem Dominicæ Domus sancta flamma suscepit. Sancta plane flamma, quæ ideo suscepit Martyres, non ut eos noxio ardore consumeret, sed ut ab his manus sacrilegas prohiberet. Tali autem incendio Beatorum consecrata sunt viscera, non cremata. Convenit huic passioni, quod ait Apostolus: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Salvi enim isti facti sunt, dum venerabilis confessionis sunt incendio concremati. Hæc ergo tota causa passionis est, Fratres, propter quam morti addicti Sancti viri cursui similes esse cæteros hortarentur; nam exhortatio illorum in tantum profecit, ut illis e sæculo recedentibus fides eorum regionis ipsius loca universa pervaserit. Ita Christus, ubi tunc in tribus Martyribus persecutionem passus est, nunc illic plurimis Christianorum exultet in populis.

SER-

SERMO II.

De Eodem.

ANte dies cum Sanctorum Alexandri, Martyrii, & Sisinnii Natalem festivissime curaremus, hoc præcipue in eorum passione laudavimus, quod dum sacrilegis resistunt, esse Martyres meruerunt, & dum eorum superstitionibus contradicunt, palmam justitiæ sunt adepti. Non enim ea causa morti addicti sunt ab his, cur Christiani essent, sed propterea magis ad pœnam rapti sunt, quod increparentur sacrilegi, cur Christiani, devotique non essent. Pacis ergo tempore, quo nullus Rex persecutor urget, Sanctos viros Martyres fecit non publica persecutio, sed religiosa devotio. Non enim timuerunt salutis propriæ subire discrimen, dum saluti cupiunt providere multorum. Nam cum perspicerent in regione sua Gentiles homines adsueto sacrilegio, quod lustrum vocant, funestis circuitionibus loca universa polluere, & innocentes quosque, vel absentes, si non conscientia, vel conniventia maculare; maculat enim conniventià eum, qui cum contradicendo prohibere potuit, ne fieret, ut fieret quasi dissimulando permisit: Cum igitur hæc Beati viri cernerent, increpaverunt eos constanter, fideliter objurgarunt, & hoc præstiterunt, ut ibi Martyres fierent, & persecutores suos Christianos efficerent. Ergo, Fratres, quia habemus exemplum, imitemur Sanctos viros, si non Passionis Martyrio, vel certe Christianitatis officio. Et quia audimus lustrum a nonnullis sacrilegis mitti solere exemplo sanctorum, objurgemus impios, castigemus errantes; portio enim Martyrii est fecisse, quod Martyres. Cæterum si videntes hæc tacemus, silemus, & patimur, reos nos statuimus, si non operatione sceleris, attamen dissimulationis adsensu. Nam sicut obviare sacrilegiis contradicentem justificat, ita dissimulare quæ videris, maculat

reticentem. Solent enim plerique miseri dicere: Nescio; non jussi, causa mea non est, non me tangit. Sed hæc, ut dixi, loquitur miser quisque vel tepidus; negat enim se jussisse fieri, qui noluit jubere ne fieret. Nam utique malum, quod de consuetudine venit, cum non coerceatur, admittitur. Causa, inquit, mea non est. Falleris, & ignoras. Nescis, quia causa Dei causa cunctorum est, & quod ab uno peccatur, in pluribus vindicatur. Nam sicut unius sanctificantur sanctitate multi, ita unius sacrilegio plurimi polluuntur. Et ideo malum, quod licet ab altero te tamen sciente committitur, tangit te, dum tua conscientia tenetur inclusum. Nescio autem, Fratres, quid illud sit, quod Dei præcepta tam dissimulanter exequimur, qui quod Principes sæculi jusserint, omnes solicite obaudiunt, omnes eorum vigilanter jussa custodiunt. Deus præcipit, & ad ejus præcepta dormimus. Quotiens mandavit idem Deus Idolorum sacrilegia destruenda, & numquam ad hanc partem soliciti esse volumus? Semper dissimulavimus, semper sprevimus. Postea nos admonuit Imperiale præceptum. Videte quanta divinitatis sit derogatio hæc humanæ potestatis adjectio. Aut quid de nobis judicatur, qui quam religiose vivere non devotione cogimur, sed terrore? Principes quidem tam boni Christiani leges pro Religione promulgant, sed eas exsecutores non exerunt competenter. Et ideo exuto a culpa Principe exsecutor remanet in reatu, qui si acrimoniam legis exercet, & ipse peccato absolvitur, & pro salute multorum æterna mercede donabitur.

HO-

HOMILIA S. MAXIMI DE S. EUSEBIO

Martyre Vercellensi.

AD Sancti Martyris Eusebii laudem aliquid addere velle, decerpere est &c.

Edita est inter Opera S. Ambrosii. Desunt heic paginæ quædam, & subsequitur fragmentum sermonis primi S. Maximi de eodem S. Eusebio, qui pariter editus est, sed mutilus; in fine enim post ea verba: Et passibilem carnem, & impassibilem deitatem, *hæc subsequuntur.*

Inter ista, Karissimi, de Machabæis fratribus quam maxime exultare nos convenit, quorum mœsta quidem Passio, sed læta victoria hodierna nobis festivitatem multiplici gaudio cumulavit. Quandoquidem propugnator Euangelicæ Fidei, custodesque paternæ legis unum confessi Dominum sub unius Dei certamine triumpharunt. Sicut enim Machabæi ob honorem Dei omnipotentis tyrannica vicere tormenta, ita Beatum Eusebium Dei sui injuriam refellentem persequentum non potuere superare supplicia. Atque ideo nos præsenti die Sanctorum de morte gaudemus, quia perpetuam non dubitamus eos vitam meruisse post mortem.

SERMO VI.

Item dictum Vercellis.

DUm ad obsequia venerandæ recordationis communis Patris nostri Eusebii confessionis ejus honore concurrimus, religiosum reddimus famulatum perpetuo Confessorum auctori. Quidquid enim erga electos Dei devo-

devotionis impendimus, Deo totum, qui electos suos sanctificat, exhibemus. Quis autem Sanctorum memorias Confessorum non pleno, perfectoque amore veneretur, de quibus Dominus, ac Salvator noster ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui est in Cœlis*. Valde ergo nobis est salutare, quod B. Eusebii suspicimus merita, quem pro retributione servatæ Fidei apud sempiternum Patrem coæternus filius confitetur. Advertite itaque, Karissimi, quantam Beato Eusebio paraverit gloriam vixisse Christo, & mortem non timuisse pro Christo, ut ait Apostolus: *Mihi autem vivere Christus est, & mori lucrum*. Erat utique vita illi Christus, quia per spiritalium virtutum tramitem gradiens, absque Christo vivere nesciebat. Erat ei & mori lucrum, quia si damno præsentis vitæ transiret e sæculo, ad Christum pergens cœli se noverat divitias lucraturum. Unde & gloriosissimus iste Confessor Christum Dominum & vivens quæsivit, & moriens adquisivit. Quæsivit vivens Christum, cum salutaria ejus præcepta custodiens indivisam Verbi cum Patre adseruit unitatem. Adquisivit eum moriens, cum ad societatem Regni ejus corporis morte transivit; & quia unam Patris, Filiique, sicut est, substantiam non negavit, exilia, carcerem, verbera, famem, sitimque sustinuit, quæ omnia fideliter superans, vitam, quam dilexit, invenit, & mortem, quam non timuit, triumphavit. Nam quid aliud est calcare mortem, quam vivendo fideliter vitam possidere post mortem, & obeundo cum Fide perpeti sancti nominis tenere memoriam? Ecce tempora temporibus cedunt. Generationes generationum successione prætereunt. Beatus vero Eusebius ætatum nostrarum curricula cuncta transcendens, & in Christi est confessione perpetuus, & in nostra devotione continuus. Nec sane est dubium, quod pie, sancteque viventem & indeficiens vita comitetur, & honor subsequatur æternus. Hic est, Fratres, venerandus Eusebius, qui dum peregrinantem apud perfidos Fidem fideli sua peregrinatione defendit, ad patriam veræ Fidei tendens, consortium cœle-

cœlestis emeruit civitatis. Pulsus quidem est Ecclesia manibus iniquorum, sed vir fidelissimus secum, quocumque ibat, portabat Ecclesiam. Aut non in illo erat Ecclesia, cujus Catholicum, fortissimumque pectus æternus Ecclesiæ auctor habitabat? Sed jam videamus, quos pro Fide Confessor egregius agones egerit, laboresque pertulerit. Fertur namque ita pœnali quadam habitatione conclusus, ut homine brevior esset domus, & carcerato carcer angustior, quatenus tali illo in ergastulo stanti, jacentique esset ferale supplicium, ut quidquid cruciatuum sancto de corpore exigere possit tortor immitis, hoc tristissimæ mansionis illius operarentur angustiæ. Inedia super hæc adfligebatur, & siti; sed nesciebat propugnator salutaris Fidei penuriæ necessitate lassescere. Nesciebat, inquam, Eusebius cibi, ac potus inopia superari, cui verbum Dei vivus erat panis, & quem Sanctus Spiritus effuso desuper ubertatis suæ rore potabat. Nam quæ illi poterat animi corporisque deesse substantia; qui omnipotentis patris, & Unigeniti ejus, & Sancti Spiritus unam, & consempiternam Deitatem confessus in æternum partum Euangelicis uberibus lactabatur? Quid ergo de Martyrio huic defuit, qui tot Martyrii certamina desudavit? Accedit etiam in augmentum lętitiæ nostrę, quod pariter hodie Machabæorum fratrum celebratur Natalis, quos mater fęcunda Deo religioso partu edidit, pio lacte nutrivit, fideli educatione provexit, ut appareat nobilissimam matrem pignoribus suis non solam terreni corporis contulisse naturam, sed etiam cœlestis animi transfudisse propositum; & cum diversa in fratribus ætas etiam membrorum varietate distaret, in confessione tamen divini nominis concors in eis nescivit discrepare germanitas. Propter quod mirabilis femina gloriosius se amittere filios, quam genuisse gaudebat. Quæ de Dei sui certa promissis, suaque secura de fide, inter tormenta morientium pignorum interrita, & invicta consistens junioris nati vitam, etiam tyranno offerente, contempsit, sciens eum præsentis mercede mortis indefiniti

peren-

perennis vitæ tempora mercaturum, docuitque laudabilius mater, ubi Dei agitur de honore, filiis ut recte parcatur, non esse parcendum. Quis non hujusmodi feminam toto attonitus stupore miretur, quæ acerbissimo tantorum in obitu filiorum, naturalis dilectionis oblita, inmobilem Deo servavit affectum? Quid adhuc de fortissimis adolescentibus loquar, vel quo potissimum sermone dicetur, quantæ illud virtutis, quantæque fuerit fidei, magis illos obedisse matri mortem suadenti, quam cessisse Regi nunc inferenti vulnera, nunc munera promittenti? Mirabiles quidem de suppliciis suis juvenes, sed propriis quisque cruciatibus urgebatur; multo vero mirabilior mater, quæ potuit inflexa persistere, cum tantorum eam pariter filiorum tormenta torquerent. Nam primus ex illis succensa flammis sartagine frigebatur; sed magis matrem totis visceribus igne genuino ardens frigebat affectio. Alterius caput, ut lectum est, cute cum capillis detracta miserabiliter nudabatur; at illa, ne pœnis talibus filius vinceretur, velut a vertice innodata crinibus maternæ pietatis metu suspensa pendebat. Alii lingua perfidorum manibus, & ferro est impietatis abscissa; sed adversus furentem tyrannum fortior in matre truncati filii lingua vivebat. Et quid plura, Karissimi, ut omnium filiorum suorum mater est adflicta tormentis, ita omnium adornata victoriis, quæ Gentili mox perempta gladio, optabili morte decessit, ut quæ docebat pro Dei honore moriendum, ipsa Deum suo honoraret occasu. Et ideo totis nunc gaudiis exultemus, quia hunc nobis diem in omnem lætitiam, & pro defensione paternæ legis Machabæa progenies, & Euangelicæ veritatis adsertor beatissimo obitu semper Deo fidelis Eusebius consecravit.

SER-

SERMO VII.

Item de S. Eusebio, & de Macbabæis, quod primo dictum est Vercellis.

LIcet me, Fratres, debitum Karitatis vestræ exhibere sermonem imperitia, pudorque revocet, & trepida semper rudimenta deterreant, dat tamen fiduciam trepidanti amor venerabilis viri præsentis Antistitis; affectionis etiam vestræ ab incunabulis admodum meis probata dilectio omnem pavidi vim terroris excludit, & super omnia gratia me beatæ recordationis Domni, patrisque nostri Confessoris impellit, quem pro cœlestium institutione virtutum piæ magis devotionis oblectat officium, quam pompa verborum. Cui quamvis a me exigua, & parva dicantur, placitura non dubito, quæ dicentur ab eo, quem ipse in Ecclesia sua natum, & generatum spiritalis uberis vitali luce nutrivit. Etenim pios parentes cum primum parvulos eorum natura provocat ad loquendum, suaviore quodam gaudio infantiæ ipsius inlimatæ linguæ balbutiens sermo delectat. Et tunc eorum loquendi est dulcior, * cum adhuc trepidantibus labiis per infracta verba nequeunt explicare, quod cupiunt. Unde, Fratres, quamquam tenuis sensu, & lingua paupere, cœlestia reverentissimi viri merita æquiparare non valeam, illa me tamen ratio quam maxime consolatur, quia impossibilitatem stupentis ingenii mei magnitudo dilectionis excusat, nec aliqua me offensio de præsumptione mordebit, ubi imperitiam commendat devotio, & ubi amor verecundiam vincit. Quis itaque, Karissimi, in laudes B. Eusebii non tota animositate prorumpat, cujus gloriam etiamsi nostra lingua reticeat, toto pene orbe innumerabilium virtutum ejus monumenta testantur? Hic namque est, de quo tanta fuit divini prærogativa judicii, ut sicut relatio Fidelium Patrum in nostram quoque notitiam pertulit, cum ignotus huc pro-

properasset advena, concordantibus repente populorum votis, & Sacerdos Christi, & pater nostræ fieret Civitatis. Nec illud in electione ejus obesse potuit, quod videbatur incognitus, quoniam qui judicia latebat humana, omnipotentis Dei latere præscientiam non potuit. Denique vultis nosse, quam speciali supernæ vocationis sit gratia consecratus, ecce dedit eum vitæ integritas, fideique perfectio, & præcipuum Sacerdotem, & gloriosissimum Confessorem. Hic docuit intra unius diversorii septum varios cohabitantium mores in unam coire concordiam; tantaque apud illum fuit mensura, & disciplina vivendi, ut cotidiano adcrescente profectu habitaculum illud non jam diversorum congregatio Clericorum, sed Consacerdotum Collegium videretur in tantum, ut tamquam de seminario optimi germinis per complurimas Civitates expetentibus populis largiretur lectissimos de sua institutione Pastores. Erat enim in omnibus, tanto principe præcedente, spiritalium officiorum indefessa sedulitas, parsimoniæ, sobrietatisque sanitas, caritatis dulcedo, mansuetudinis gratia, custodia castitatis. Quæ omnia, Fratres, etsi generatio nostra adimplere non prævalet, habet tamen in Patre optimo posteritas, quod miretur. Quid illud dicam? quod peregrinationem perpeti, exilia pœnasque multiplices, salutaris Fidei adsertione, promeruit, quod jejuniorum, vigiliarumque exercitiis roboratus, nec a via veritatis inflexus, constantissimo vigore pectoris de perfidiæ auctoribus triumphavit. Et inde est, Karissimi, quod mors ejus omni vita est clarior inde, quod Sacerdotium ipsius devotione Fidelium perdurante communem mortalium non sentit occasum. Quid etiam de beatissimis septem Fratribus Machabæis potissimum dicam? Qui dum furentis Antiochi terrore calcato, legalia Testamenti veteris præcepta non deserunt, ad consortium Regis æterni, & beatam Euangelii gloriam pervenerunt. Et sicut fuit illis unius uteri germana nativitas, ita facta est eis unius Fidei fraterna victoria. Qui in modum candelabri illius, quod septeno lumine quondam lucebat

bat

bat in templo, ſeptem Paſſionum ſuarum lampadibus mundi faciem radiarunt. Et ſicut illi tunc candelabro, Sacerdotis cura oleum pro luminis perſeverantia miniſtrabat, ita his omnipotens Dominus ad inluminandam eorum fidem de theſauro gloriæ ſuæ ſancti Spiritus profudit unguentum. Inter hæc mater venerabilis talium filiorum morte lætiſſima, una & ſola mœrebat triſtitia, ne qui dulcium pignorum ſuorum pro ſanctificatione divinæ legis aut nollet, aut timeret occidi. Illa vero quanti miraculi res eſt, quod ad augmentum præſentis lætitiæ in unum diem adſumptio Sancti Euſebii noſtri, & Machabæorum victoriæ convenerunt! Quam ſimilis eorum pugna! quam indifferens eſt triumphus! Illos enim Antiocho ſævienti anxia obtulit mater, hunc inſaniente Diabolo in ſpiritale certamen credentium omnium mater ſolicita produxit Eccleſia. Machabæi multimoda tormentorum genera patienter, ac fortiter pertulerunt, ne porcinis carnibus, quæ tunc habebantur inlicitæ, devota Deo corda polluerent. Beatiſſimus autem Pater Euſebius innumeros, graviſſimoſque hæreticorum ſuſtinuit cruciatus, ne Arrianæ inquinamento perfidiæ puriſſimi pectoris ſui conſcientiam macularet. Primus ex illis ſeptem fratribus, ut audiſtis, quia immobilis perſtitit, manibus pedibuſque truncatus eſt. Euſebius autem in veritate Fidei perſeverans hæreticæ voluntati nec itinere pedum, nec manuum ſubſcriptione conſenſit. Secundus ex eis, ne caput veræ ſalutis amitteret, contentus eſt capitis ſui cute nudari. At venerandus Euſebius, dum caput ſuum pro membris Eccleſiæ perſecutoribus objicit, tegimentum cœleſtis capitis non amiſit. Tertius Machabæorum poſtulatus linguam conſtantiſſime protulit impiorum manibus abſcindendam, ut quæ pro toto corpore fuerat prolocuta, totum corpus ſuum præiret ad Deum. Euſebius vero linguam ſuam adverſus Tyrannum Fidei, & expugnationem Diabolici erroris armavit, non timens amittere, quam ſciebat ſibi & amiſſam perire non poſſe. Quartus autem, quintus, & ſextus, ut lectum eſt, ſine deſcriptione pœnarum Antiochum

Regem verbis acrioribus increparunt. Eusebius nihilominus inter innumera tormenta, ac diversa supplicia, tam fortia, tam magnifica est locutus, ut increpatione verborum ejus impia perfidorum pectora torquerentur. Septimus etiam in paternæ legis defensione persistens Antiochum doli plenum, honores, ac divitias promittentem mirabili magnanimitate contempsit. Eusebium autem nec honoris Sacerdotalis ambitio, nec paupertas exilii a veræ Fidei propugnatione divertit; sed per sanctam inopiam ineffabiles divitias conquisivit, & Sacerdotium suum Sacerdotii ipsius amissione servavit. Gloriosissima etiam mater non cedentibus filiis iratum superavit Antiochum; & Ecclesia Christi, Eusebio vincente perfidiam, ipsum impietatis auctorem Diabolum, reddita mundo veritate, calcavit. Hæc est igitur Beatissimo Confessori cum Machabæis Fratribus certaminis, gloriæque communio. Hujus diei nobis est annis omnibus multiplicanda, & honoranda festivitas, in quo in æternam Beatitudinem & adsertores Testamenti veteris transierunt, & novi Euangelii propugnator adsumptus est.

SERMO VIII.

Item de S. Confessore Eusebio, & Machabæis.

AD celebritatem præsentis diei, Fratres Karissimi, omni nos cum alacritate concurrere devotio geminæ festivitatis invitat. Quam nos habere manifestum est de Machabæorum triumpho, & victoria Confessoris. Est namque nobis per Machabæos gaudium generale cum cæteris; est & per B. Eusebium domesticæ gratulationis propria, peculiarisque lætitia. Et licet diversis temporibus diverso ubique agone conflixerint; unus tamen in illis Spiritus dimicavit. Quamvis enim Machabæi pro reverentia legis antiquæ, Eusebius Euangelica pro veritate certaverit; idem tamen est Deus, qui legem dedit, & qui Euangelium revelavit. Quis autem dubi-

Vercellinum se esse ostendit.

dubitet, unum in illis ſenſum, unam mentem, unum fuiſſe Spiritum, cum illi pro Domini lege ſunt paſſi, hic pro ipſo legis Domino pertulerit paſſiones? Diligentius nunc intendamus, Kariſſimi, quæ ſpecialiter Machabæis, quæve B. Euſebio fuerit cauſa certandi. Igitur cum apud vetuſta ſæcula in ſervos Dei Diabolicæ invidiæ facibus Gentilitas accenſa ferveret, & Antiochi præcipue Regis ferociſſimum pectus impia ſuppleret inſania, Machabæos Fratres, eorumque Religioſiſſimam matrem, raptos ad ferale jubet tribunal adduci, quatenus eos metu mortis, terrore pœnarum, oblationibus munerum, in ſuum tranſire ſuaderet errorem. At devotiſſimam juventutem nec minæ mundi a Deo ſuo revocant, nec regia blandimenta ſeducunt. Itaque primus ex illis divinæ diſpoſitione juſtitiæ palæſtram certaminis cœleſtis adgreditur, ut qui ætate præibat, paſſione prçcederet, & naſcendi ordo teneret in Fratribus ordinem triumphandi. Hic igitur primævus e Fratribus, ſartagine ſuccenſa frigi jubetur a Rege; ſed refrigeratur a Deo. Manibus pedibuſque truncatur, ſed multum de ſui integratione ſecurus, quia pro illius hæc ſe noverat lege pati, penes quem ſolum eſſe credebat formandi reparandique corporis poteſtatem. Et ob hoc nimirum fortiſsimus juvenis toto corpore, membriſque conciditur, ut advertat præſtante Deo tot ſe martyria habere, quot membra. Privatur alius lingua, alius capitis cute nudatur, ut pœnarum diverſitas varietatem gigneret præmiorum. Fremit ergo in omnem ſævitiam ſanctorum virtutibus exacerbata crudelitas. Laſſeſcunt laniſtæ manus, cruenti tabeſcunt oculi, atque ipſa jam ſe impietas erubeſcit, converſoque ordine quæſtionis gemit tortor, & tortori ſuo tortus inſultat. Cæſis itaque per hæc, proſtratiſque Rex Fratribus, ſeptimus, qui & junior, examinandus ingeritur, quem Rex ille Tyrannicus, tot ac talibus expenſis fruſtra ſuppliciis, molliſsima nititur allocutione mulcere; promittit opes, offert honores, ſuaſque inſuper amicitias pollicetur, ſi poſsit a puero impetrare perfidiam. Sed conſtantiſsimus adole-

lescens Regem, & Regis dona despiciens, Paradisum cogitatione deambulans, & cœlum mente percurrens, supplicia sibi censuit commodiora quam munera, elegitque mori pro Deo, quam vivere cum Tyranno. Nec sane poterant eum regia inclinare promissa, quem fraterna tormenta non flexerant. Immo, ut exitus docuit, fidelissimus puer in ea magis parte videbatur torqueri, quod tardius torquebatur. Inter ista mater egregia de cruciatibus filiorum divinitus inspirata gaudebat, certa tot se decorandam coronis, quot funera pertulisset in filiis. Quis hæc audiens non miretur? Ob honorem Dei materno in pectore genuinus tepescit affectus, fide natura superatur, & suo mulier fortior sexu, docet filios amare supplicia. Præmissis igitur tot ad Deum pignoribus, ipsa etiam spreto mundo gloriosissima morte succumbit. Et dignum revera erat, ut Mater Martyrum vitam Martyrio terminaret. Post ista, Fratres, quod & meus concupiscit animus, vestrasque aures jamdiu sitire non ambigo, nostrum ad Eusebium veniamus, quem diei præsentis adsumptio Machabæorum fecit esse germanum. Illi namque moriendo Martyres facti sunt, iste vivendo. An non videtur vitæ suæ temporibus laboriosissimum egisse martyrium, qui bello perpeti, castitate luxuriem, continentia voluptatem, humilitate superbiam, iracundiam moderatione vincebat? Numquid non Martyrum indeptus est gloriam, qui spiritali prœlio cotidiana temptamenta suspirans, occultas continuasque Diabolicæ impugnationis superabat insidias? Hic illum animus, Fratres, hoc propositum, vita hujusmodi Patribus dudum nostris Pontificem dedit, qui tantis Sacerdotium suum virtutibus sublimavit, ut inter multimoda Ecclesiæ ornamenta, velut gemma pretiosior lumine clariore fulgeret. Fecit ergo eum, Karissimi, morum probitas Sacerdotem, & plenitudo Fidei Confessorem. Nam cum impietas Arriana Ecclesias Dei profunda quiete pacatas Regali patrocinio accincta vastaret, & ignaros quosque, vel trepidos nunc suasione, nunc minis in sua traxisset jura captivos, Eusebii nostri adgressa est adtemptare constantiam.

tiam.

tiam. Sed vir iste fortissimus, non ignorans pro Fide Christi, & nomine Apostoli passione provectos Martyres per tormenta crevisse, Arrianorum terrore despecto, cœlestis vitæ tranquillissimum portum sæcularium fluctuum tempestate quæsivit; maluitque spiritalis animus corpus suum procellis subjacere mundanis, quam in navigio perfidorum salutaris Fidei naufragium sustinere. Et quia cogi non potuit prodere veritatem, coactus est exulare. Sed ubi ille exul, ubi esset peregrinus, qui non peregrinabatur a Deo? Libenter & Urbem suam reliquit, & Sedem, cui Christus ubique erat & honor, & patria. Ut autem mihi videtur, illi tunc potius in quodam desolationis loco manebant, a quibus separabatur Eusebius. Recenseamus nunc, prout possumus, quæ Beatissimus Pater noster pro Fidei confessione pertulit, ut advertamus, quantus eum labor, quæve merita ad tantam hanc confessionis gloriam provexerunt. Hic igitur, ut relatio paterna nos instruit, hac nostra raptus ex Urbe, Scythopolim ducitur, ibique trucidandus traditur Arrianis. Non est incognitum, Fratres, quantam possit exercere nequitiam inimico sæviendi permissa libertas. Clauditur itaque brevi, angustoque cubiculo, ut præter septum carceris acrius eum ergastuli illius angustiæ macerarent. Sed has ille angustias patientissime tolerabat, sciens Jonam Prophetam cæti ventre conclusum in pristinum vivendi statum, atque in officium Propheticum restitutum. Fame etiam perurgebatur, & siti; sed hic, qui verbo magis vivebat Dei, ad omnem satietatem conscientia sua pascebatur, & Fide. Cæsus nihilominus perhibetur, sed magnanimiter sustentabat, quia in ipso jam Christo Domino injuriæ hujus præcessisse videbat exemplum. Et quid plura, Fratres? nunc fortitudine animi, nunc perfectione doctrinæ, & insolentiam persequentium, & hæreticorum vicit errorem. Lætemur itaque, totisque viribus exultemus gratias agentes Domino, ac Deo nostro, qui per abundantiam miserationum suarum ad perfectum tunc præsentium, & patrocinium posterorum, tam magnificum Sacerdotem, tam

Nota quod iste Vercellinus est.

mirabilem Confessorem Urbi huic & dedit, & reddidit.

SERMO IX.

De S. Eusebio.

Nota quod Vercellinus est iste.

QUamquam, dilectissimi Fratres, Beati Patris nostri summi Sacerdotis, & Confessoris Eusebii indignus sim filius, & minimus servus, insignibus tamen meritis, ac virtutibus vel exiguam dependo pro viribus servitutem. Etsi hæc ille in cœlestibus agens, & cœtui adsociatus Euangelico non requirit, nos tamen nostri memores ingerimus, quod debemus. Quod quidem illa quam maxime confidentia audeo, quia non dubito eum, quamvis a me humilia, & parva dicantur, famuli ac nutriti sui sermonem, non examinantis judicio, sed diligentis affectione pensare. Atque ideo omni cum gaudio obsequium Patri, officium Sacerdoti, honorem deferimus Confessori. Hic itaque cum in hac Urbe, dispensante Deo, summi gradum Pontificii suscepisset, ut universo Clero suo spiritalium institutionum speculum se cœleste præberet, omnes illos secum intra unius septum habitaculi congregavit, ut quorum erat unum, atque indivisum in Religione propositum, fieret vita, victusque communis. Quatenus in illa sanctissima societate vivendi invicem sibi essent conversationis suæ & judices, & custodes, & dum alter alterius humilitatem præfert, continentiam stupet, suspicit castitatem, patientiam laudat, miserantis animi prædicat bonitatem, jejunia, vigiliasque miratur, omnes ab omnibus discerent, quod in se singuli non habebant. Quæ cum ita essent, in universorum tamen pectora bonorum omnium plenitudo magni ejus Eusebii de fonte manabat, atque ita fiebat, ut dum in divina præcepta exemplis se mutuis excitant, in diversorio illo non tam hominum esset congregatio, quam virtutum. Cum vero Christianam Fidem & Ecclesiasticam

cam pacem toto orbe Arriana turbaret impietas; & divinitatis rebelles terrore Regio, exiliis, diversisque suppliciis in consensum perfidiæ suæ simplices quosque cogeret Sacerdotes, Eusebius noster supra petram suum constituens fundamentum, tantus, ac talis emicuit, ut eum inter fremitus fluctuum mundanorum nullus error involveret, potestas nulla terreret. Nam, ut relatio paterna nos docuit, ita humili angustoque carcere clausus refertur, ut neque stans neque jacens haberet porrigendi sui corporis libertatem. Premebatur quidem habitatione pœnali, ne inclinum caput erigeret, sed passionis ipsius merito verticem suum attollebat in cœlum. Arctabatur nihilominus carceris brevitate, ne lassantia in requiem genua relaxaret; sed veritatis gradiendo semitas per amœna Paradisi incorruptæ Fidei suæ vestigia dilatabat. Subtrahuntur etiam illi, ut ipsius scripta testantur, cibi, potusque ministeria; sed nulla ille carnalis escæ fatigabatur inedia, qui confitendo æternitatem Christi cœlestis verbi pane vivebat. Nec cogi umquam potuit, ut imperio perfidorum necessitate corporea statum fidelis animæ subjugaret. Et quamvis B. Eusebius in tanto Fidei prœlio adversa omnia, Deo, cui militabat, juvante, superaret, omnes tamen illas jacendi angustias, atque illam famis inopiam tolerabilius perferebat * qui exercuerant illum; lectulus durior, & sanctioris propositi continuata jejunia. Hic vere cum Apostolo Paulo & dicet, & docet: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames?* & reliqua. Et recte non potuit a Christo tribulationibus, & angustiis separari, qui non potuit cogi, ut a Patre Filium separaret. Et quamquam de suavitate gestorum ejus nulla sit invicem nobis dicendi, audiendique satietas, nec Beatissimorum tamen Machabæorum silentio est prætereunda victoria, quia & ipsos hic idem dies ereptos sæculo magno cum triumpho transmisit ad Cœlum. Et quamvis chorus ille fortissimus ad Deum suum inter tormenta transierit, non tamen impar est Eusebius, qui confutata perfidia ad eumdem Deum victa post tormen-

menta migravit. Et, ut manifestius advertamus Eusebii nostri inferiorem non fuisse victoriam, illi veteri pro lege certarunt, hic novo pro Euangelio dimicavit. Illi pro præceptis quidem Dei subjacuere suppliciis; Eusebius autem pro Deitatis ipsius veritate conflixit. Restiterunt illi Antiocho Regi, ne inlicitis tunc carnibus vescerentur; obstitit iste Diabolo, ne hæretici sermonis fermento panem nobis Dominicum macularet. Exultemus itaque, Fratres, Deo nostro agentes gratias, quia sub hac præsentis diei devotione gemina festivitate lætamur, Eusebii quippe suspicientes triumphum, & victricium Machabæorum tormenta mirantes. An non mirabiles Machabæi, quos nativitatis suæ, passionisque consortio & apud sæculum fratres fuisse, & in Cœlo videmus esse germanos, qui pinguissimo egregiæ matris ab ubere & substantiam vivendi, & vincendi suxere virtutem? In tantam enim perfectionem lacte & sermone adolevere materno, ut inseparabilis esset & in corde eorum sapientia, & in corpore fortitudo. Denique Antiochus lectissimos juvenes Fide propria, & materna adhortatione constantes, ut a reverentia paternæ legis averteret, non acerrimis terrere suppliciis, non magnis potuit avocare promissis. Tantus enim in membris eorum vigor, tantus in pectore spiritus, tanta erat in responsione doctrina, ut spernendo pœnas, & confutando perfidiam impii Regis, & terrorem vincerent, & furorem. Venerabilis autem mater confessione parili, & consimili morte defuncta lætior ad pignora sua de hoc sæculo profecta migravit. Nec mirum, si sævitiam Regis in semetipsam magnanimiter pertulit, quæ tam fortiter eum potuit & in filiis sustinere. Vere beata mulier, atque omnium prosequenda præconiis, quam pro fide Dei sui & in occasibus filiorum nulla carnis fregit affectio, & a tormentis proprii corporis nec sexus revocare potuit, nec senecta. Hæc ergo sunt, Karissimi, diei hujus gaudia votiva fidelium. Hæc semper Beato Eusebio, & gloriosissimis Machabæis exhibeamus obsequia, quos in æternum Regnum tempus quidem diversum, sed Fides eadem, & dies una provexit.

SER-

SERMO X.

De Machabæis.

QUid primum, Karissimi, de Machabæis Fratribus, quorum hodie Natalis est, adgrediar prædicare? Quo me in laudes eorum sermone circumferam, quorum mihi insignia merita nec explicare possibile est, nec sequi probabile? Ut enim una resplenduit in omnibus fides, ita multiplex claruit in singulis fortitudo. Vere venerabiles, atque ore omnium celebrandi fratres, apud quos & in verbis confessio, & triumphus est in virtute. Hi igitur, dum inlicitis vesci, & communicare prohibitis metu regio, & tormentorum acerbitate coguntur, una sibi omnes moriendi voluntate succedunt, quia omnibus erat post obitum spes una vivendi. Quam specioso autem judicio, laudabilique constantia porcinas carnes, quæ cœlesti tunc interdictu habebantur inmundæ, contingere perhorrescunt, quorum devotio ad immaculati se Agni præparabat adventum! Rapiuntur ergo fortissimi juvenes, ad iniqua, & vetita variis membrorum cruciatibus impelluntur. Persistunt tamen viriliter, nec furori tyrannico cedunt, ut omnipotentis Dei dispensatione mirabili, quos carnis generatio temporales, mortalesque ediderat fratres, æternos faceret pœna germanos. Quis revera non tota admiratione suspiciat, quod pro auctoritate divinæ legis pueri sapientiam præferunt, adolescentes tormenta non metuunt, juvenes & munera Regia, & vitæ ipsius blandimenta contemnunt? Incipit ergo artifex persecutor a primore natu, ut in præcepta sua seniorum supplicio subsequentium animos inclinaret. Sed quod impius argumentatur, ad metam fratribus proficit, & exemplum. Intelligit unusquisque eorum, posse ea, & debere se vincere, quæ vigore germanæ mentis, & fraterna fuerant religione calcata. Sed quid potissimum de venerabili

bili eorum matre sermonis nostri mediocritas prosequetur, cui de tam numerosis orbitatum luctibus gaudia votiva nascuntur, quæ tot funerum exultavit tormentis, quot pignoribus lætabatur? Egit Beata femina geminam quodammodo matrem; nam quos lege corporea præsenti suderat vitæ, fortitudine spiritus perpetuis sæculis parturivit. Quis non mortalium miretur, Fratres, cujus non contremiscat affectus, totis matrem trepidasse visceribus, ne quis filiorum suorum in tam magnifico conflictu aut timeret, aut non mereretur occidi? Atque inter illa peremptorum funera parvulorum materno in pectore non solum nullus tristitiæ gemitus fuit, sed ultra femineæ pietatis affectum exultavit de eorum victoria mater mirabilis, quos se sciebat, non minus fide nutrisse, quam lacte. Transit ergo nativitatis ordo in ordinem passionis, ut justissima Martyrii regula tramite, quo eos mundus acceperat, transmitterentur ad cœlum. O novum pietatis affectum! torquentur filii, & mater exultat, atque ita se in conspectu Domini veram matrem credidit adprobandam, si inter tam funesta supplicia numerosæ sobolis suæ, inflexo pectore, & siccis oculis adstitisset. Immo sibi ipsa congaudet, quod alacritatem mentis suæ suis in pignoribus recognoscit, & quod ei tali morte præmittere contigit filios, ut nihil sibi de eis vindicaret Infernus. Sed posthæc omnia stupenda mulier eadem, qua filii, confessione defuncta, secura subsequitur, quos tam devota præmisit. Justissimumque in conspectu Domini fuit, ut tot Martyrum mater *de hoc mundo* non sine Martyrii consecratione transiret. Nec requirendum, Fratres, qua potissimum pœna gloriosissimum clauserit diem, cum omnia, quæ audivimus, supplicia filiorum materna torserint viscera, & sola acrius senserit, quidquid singuli pertulerunt.

SER-

SERMO XI.

De Machabæis.

UNum esse spiritum novi, ac veteris Testamenti, etiam Machabæorum magnanimitas, fidesque declarat, qui de æternitatis gloria Deo promittente securi, cruenti Regis sævitiam pia morte vicerunt. Nam Dominum nostrum Jesum Christum, quem testimonio Euangelii omnis pæne de Cœlo credit venisse Gentilitas, nasciturum in terris esse de Virgine universa dudum per Legem, atque Prophetas Judæa discebat. Et inde est, Karissimi, quod Machabæi Fratres pro reverentia legis paternæ ante se passionibus subdiderunt, quam legis Dominus pateretur. Inde, quod prius despexerunt mortem, quam per Christum vinceretur Infernus; inde, quod antea pro honore Redemptoris proprium dederunt sanguinem, quam suum pro eis cruorem Redemptor effunderet. Quis autem dubitet tam innumera mundi præsentis mala nec adire eos, nec tolerare potuisse, nisi fide plenissima de bonis futuri sæculi credidissent? Nemo, Fratres, nemo Tyrannum spernit, nisi qui spe legitimi Imperatoris erigitur; nemo mortem præfert vitæ, nisi qui vitam credit esse post mortem; nemo tormenta volens perpetitur, nisi qui sperat præmia post tormenta. Igitur cum Antiochus in servos Dei effrænata sæviret insania, septem germanorum religiosissimum chorum ad suum jubet tribunal cum matre perduci, ut aut illa tam numerosæ prolis cruciata suppliciis vinceretur, aut si quem forte ex pueris proprius non terruisset interitus, mors fraterna turbaret. Sed erravit insanus, virtutem Religionis ignorans, in qua est illa vel maxima pietas, Deum fratribus, Deum filiis, Deum prætulisse parentibus. Præcipit ergo eos contra decreta Cœlestia manducare carnes porcinas: Recusantibus adhibet genera diversa pœnarum. Sed ne-

nesciunt corda fidelium voluntatibus * perfidorum. Agitur itaque cum eis ferro, flammis, variisque suppliciis. Huic caput cute nudatur; huic lingua præciditur; frigitur ille manibus pedibusque truncatus. Sed inter tam funesta torquentium manus nec filios instantis matris inclinat affectio, nec matrem morientum frangit turba natorum. Atque ita in germanis pueris, & muliere senissima eadem pro lege Dei fuere vota moriendi, ut & ipsa videatur filios spiritu magis genuisse, quam carne; & illi æstimentur non tam lactis substantiam de matre suxisse, quam Fidei. Quis non perfidorum, Fideliumque miretur, quod senissima mulier tot dulcium pignorum non congemiscit interitum? quis non obstupescat, quod de tam crudelibus filiorum suppliciis furenti Regi læta mater insultat, illiusque potius persecutor magnanimitate torquetur, quam meditatione impia cogitabat, aut prævaricatione polluere, aut orbitate damnare? Nam quod supra omne miraculum est, juniori filio mater, quem a Rege susceperat inclinandum, sic ait: *Peto fili, ut condignus fratribus tuis effectus suscipias mortem, ut in illa misericordia Dei cum fratribus tuis te recipiam.* Vere gloriosissimæ mulieris incomparabilis fides! Adstat in conspectu Regis secura de mortuis, trepida de vivente. Sciebat enim hunc se solum filium perditurum, si solus timuisset occidi. Sed non degener juvenis, qui fratrum agones patienter aspexerat, matrem libenter audivit, & torquentem Regem non solum non metuit, sed digna ferum increpatione castigat. Et bene, Karissimi, mirabilis femina, certa de filiorum triumpho, certa de retributione cœlesti; insultabat Regi, exultabat in Domino, quæ se tunc magis credebat beatius parturire, cum videret filios suos gloriosa ad Deum morte præcedere. Et supplicia quidem multiplicabat Antiochus; sed fidelis anus pro illa temporalium pœnarum multitudine triumphantium parvulorum præmia numerabat æterna, post quorum occasum inter dulcissima corpora......

Deest

Deest pagina. Sequitur Sermonis fragmentum, editum inter Opera S. Ambrosii.

. . . . . . quæ & Dominum suscitavit. Nam sicut viam passionis ejus experti sunt, ita experiuntur & vitæ. scriptum est enim in Psalmo: *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Hoc utique in Resurrectione ex persona dicitur Salvatoris, quod dum post mortem ab Inferis redit, ad superos incipit notam habere viam vitæ, quæ ante habebatur ignota. Ignota enim erat ante Christum via vitæ, quod nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio. At ubi Dominus resurrexit, nota facta solo attrita est plurimorum, de quibus Sanctus Euangelista ait: *Multorum corpora Sanctorum resurrexerunt cum eo, & introjerunt in sanctam Civitatem*. Unde cum Dominus in Resurrectione sua dixerit: *Notas mihi fecisti vias vitæ*, possumus & nos jam dicere Domino: Notas fecisti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis semitam manifestavit ad vitam; notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me docuit Fidem, misericordiam, justitiam, castitatem; his enim pervenitur itineribus ad salutem. Et licet nos sui resolutione corporis mortis umbra circumdet; tamen gressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias Inferni leges incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Unde ait Propheta: *Nam etsi ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Quod manifestius Dominus ait de fideli dicens: *Qui autem credit in me, non morietur, & licet moriatur, vivet*. Ergo, Fratres, cum Sanctis Martyribus Paschæ Domini gloriam conferamus. Conferamus, inquam, & licet melius noverint omnia, tamen nos illis prædicemus, quemadmodum de sepulcri gremio resurrexit ad superos. Illi nobis revelent, quo pacto de Inferi profundo remeaverit ad sepulcrum. Notum, inquam, nobis faciant, quemadmodum in exanime etiam corpus, & frigidum sese calor insinuaverit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, & gelatas humore

venas

venas pristini vigoris pulsus agitaverit. Notum, inquam nobis faciant, quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum nervorum rursus cooptaverit resoluta compago, & armoniam viscerum jam silentem in veterem conceptum spiritus vivificans animaverit Sacerdotes. Ergo prædicent, quæ Salvator post Resurrectionem mirabilia gessit ad superos. Martyres revelent, quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctis.

SERMO

De Natale Sanctorum Octavii, Adventi, & Solutoris, qui Taurinis passi sunt.

CUm omnium Sanctorum Martyrum festivitatem, Fratres, devotissime celebrare debeamus &c.
Editus est inter Opera S. Maximi.

SERMO

De Barbaris non timendis.

SÆpe dixisse me memini, quod hos tumultus bellicos timere minime debeamus &c.
Est editus a Mabillonio sub nomine S. Maximi in Mus. Ital. ex hoc Codice.

SER-

SERMO II.

Item sequentia.

MIrum forsitans videatur, quod ante dies Sancti Helisæi gratiam describentes diximus &c.

Editus ibidem a Mabillonio sub nomine S. Maximi ex hoc Codice.

SERMO

De tumultibus bellicis. XXII.

MOvet fortasse vos Fratres, quod tumultus bellorum, & incursiones prœliorum &c.

Editus est inter opera S. Ambrosii.

In hoc codice ad ea usque verba procedit Sermo: Et ad plenam tuitionem urbium portas principum. *Tum deficiente pagina subsequitur fragmentum.*

. . . . . . recte autem Moysen & Prophetas micas possumus nominare, quoniam integer panis ipse Salvator est juxta quod idem de se dicit: *Ego sum panis, qui de Cœlo descendi*. Cujus panis refectionem Cananæa illa mulier cum rogaret, dicit illi Dominus: *Non est bonum tollere panem filiorum, & dare canibus*, hoc est gentibus. Quod intelligens illa mysterium respondit dicens: *Domine, nam & canes de micis Dominorum suorum edunt*. Cujus fidem Salvator mirans statim filium ejus perfectæ sanitatis medicina donavit. Ita mulier magna dum fide micas quærit, panem salutis invenit, & dum catulorum fragmenta desiderat, filiorum epulis saginatur. O beata Domini vulnera, quæ perpetuum a nobis excludunt dolorem! o uberes micæ, quæ repellitis jejunium sempi-

ternum! Quisquis enim ulcera Salvatoris ore suo foverit, ipse ulterius non dolebit, quicumque panis ejus micas sumpserit, famem non sentiet sempiternam.

SERMO XXIX.

De Kal. Gentilium.

BEne quodammodo Deo providente dispositum est; ut inter medias Gentilium festivitates &c.

Editus est ex hoc Codice a Mabillonio sub nomine S. Maximi in Museo Italico.

SERMO XXX.

De defectione Lunæ.

ET ipsi videtis, Fratres, quod mea non cessat humilitas &c.

Editus est inter Opera S. Maximi.

SERMO XXXI.

Sequentia de eadem re.

ANte dies persecuti sumus, Fratres, adversus illos &c.

Editus est a Mabillonio sub S. Maximi nomine in Mus. Italico ex hoc Codice.

SER-

SERMO XXXII.

De Idolis auferendis de propriis possessionibus.

ANte dies commonueram caritatem vestram, Fratres, ut tamquam Religiosi, & Sancti Idolorum omnem pollutionem de vestris possessionibus auferretis, & erueretis ex agris universum Gentilium errorem. Fas enim non est, ut qui Christum habetis in cordibus, Antichristum in habitaculis habeatis; cum vos Deum adoretis in Ecclesia, vestri Diabolum venerentur in Fanis. Nec se aliquis excusatum putet dicens: Non jussi fieri, non mandavi. Quisquis enim intelligit, in re sua exerceri sacrilegia, nec fieri prohibet, quodammodo ipse præcipit; tacendo enim, & non arguendo consensum præbuit immolanti. Dicit autem B. Apostolus, criminosos esse non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Tu igitur, Frater, cum tuum sacrificare rusticum cernis, nec prohibes immolare: peccas, si non data copia, attamen permissa licentia; si non jussio tua in crimine, attamen voluntas in culpa est. Dum enim taces, placet tibi quod fecit rusticus tuus, quod si non faceret, forsitan displiceret. Non autem sibi tantum peccat subditus, cum sacrificat, sed & Domnedio, qui non prohibet, qui si prohiberet, utique non peccaret. Grande igitur malum est Idolatria, polluit exercentes, polluit habitantes, polluit intuentes, penetrat ad ministros, penetrat ad conscios, penetrat ad tacentes. Immolante enim rustico inquinatur Domnedius. Non potest non esse pollutus ubi cibum capit, quem sacrilegus cultor exercuit, terra cruenta edidit, tetrum horreum conservavit. omnia enim ibi inquinata, omnia sunt nefanda, ubi Diabolus habitat in ædibus, in agris, in rusticis. Nihil ibi liberum est ab scelere, ubi totum versatur in scelere. Cum cellam ingressus fueris, reperies in ea pallentes cespites, mortuosque

 carbo-

carbones, dignum sacrificium Dæmonis, cum mortuo Numini rebus mortuis supplicatur. Et si ad agrum processeris, cernis aras ligneas, & simulacra lapidea, congruens mysterium, ubi Diis insensibilibus aris putrescentibus ministratur. Cum maturius vigilaveris, & videris saucium vino rusticum, scire debes, quoniam sicut dicunt, aut Dianaticus aut aruspex est; insanum enim Numen amentem solet habere Pontificem; talis enim Sacerdos parat se vino ad plagas Deæ suæ, ut dum est ebrius, pœnam suam miser ipse non sentiat. Hoc autem non solum de intemperantia, sed & de arte faciunt, ut minus vulnera sua doleant, dum vini ebrietate jactantur. Vanus plane vatis est, qui putat crudelitate adstruere pietatem. Quam misericors in alienos Deos ille, qui in suos est Pontifices tam cruentus! Nam ut paulisper describamus habitum vatis hujusce, est ei adulterinis criniculis hirsutum caput, nuda habens pectora, pallio crura semicincta, & more gladiatorum paratus ad pugnam ferrum gestat in manibus, nisi quod gladiatore pejor est, quia ille adversus alterum dimicare cogitur, iste contra se pugnare compellitur. Ille aliena petit viscera, iste propria membra dilaniat; & si dici potest, ad crudelitatem illum Lanista, istum Numen hortatur. Hoc igitur indutus habitu, hac cruentus cæde, judicate utrum gladiator sit, an Sacerdos. Ergo sicut gladiatorum publicum facinus religiosa Principum devotione sublatum est, ita & amentes gladiatores isti Christianitatis observatione de propriis domiciliis auferantur.

Ejusdem.

SERMO XXXIII.

De eadem re.

NOn parum tractatu Dominicæ superioris profecisse vos credimus, siquidem prædicatio nostra ab omni Idolorum inquinamento corda vestra purgavimus. Nostra

ſtra enim corda mundantur, cum Diaboli ſordibus polluta noſtra conſcientia non tenetur. Pollutam autem is conſcientiam non habet, qui exerceri ſacrilegia in ſua poſſeſſione non patitur. Cæterum qui ſcit in agro ſuo Idolis immolari, nec prohibet, quamvis ipſe longe in Civitate conſiſtat, pollutio tamen illum nefanda continget. Et licet aris adſiſtat ruſticus, ad Domnedium contaminatio execranda regreditur. Particeps enim ejus efficitur, ſi non conſcientia, certe notitia. Profeciſſe ergo nos credimus, cum ſacrilegii cultum in veſtris poſſeſſionibus inhibent; dicimus enim, ut Chriſtiani hominis, hoc eſt mundi viri, ſit munda poſſeſſio. Ait autem Salomon: *Poſſeſſio pretioſa vir mundus*. Si ergo vir purus poſſeſſioni pretioſiſſimæ comparatur, quanto ipſa poſſeſſio majoris eſt pretii, ſi ſit ſinceris, & pura, nec aliqua Diaboli contagione vileſcat? Cur autem vir mundus poſſeſſio munda dicatur, ſcire debemus, ſcilicet quia pretioſum illum facit non fragilitas corporis, ſed ſinceritas honeſtatis, & quia eum pro ipſa puritate mentis Dominus poſſidere dignatur, ſicut ait Propheta ex perſona Sanctorum &c.

Heic deſunt aliquot paginæ. ſequitur fragmentum.

. . . . . ſuſcipit, ſed alios excutit in profundum, alios ſublimat ad cœlum, aliis lapſum tribuit ad ruinam, aliis reſurrectionem operatur ad gloriam, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio dicente ad Mariam Sancto Symeone: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum*. Ruit enim a Chriſto, qui mandata ejus præteriens, lapſum, dum evagatur, incurrit; reſurgit in Domino, qui præcepta ejus metuens, a peccatis ſe erigit ad virtutem. Sic igitur iſte hæreticus ruinam in ipſo itinere patitur, dum viam veræ Religionis ignorat; Catholicus incedit ſine offendiculo, quia recto Fidei tramite graditur ad ſalutem.

SERMO XXXVIII.

De Speculatore posito filiis Israbel.

INterdum, Fratres, cum prædicamus, plerisque sermo noster videtur asperior, & ea, quæ secundum regulam prosequimur, ita a nonnullis accipiuntur, quasi nostræ severitatis austeritate promantur. Dicunt enim: quam dure, & amare prædicavit Episcopus, ignorantes quod Sacerdotibus dicendi necessitas major est, quam voluntas. Necessitas, inquam, major est dicendi, non quod verum prosequendi desit voluntas, sed quia tacendi silentium statuti pœna depellitur. Necessitatem patimur, dum timemus, ac per hoc cogimur plus posse, quam velle, & metuenda aliis ingerimus, dum ipsi saluti propriæ formidamus. Hæc autem est conditio prædicantis, ut non alterius peccata taceat, si sua vult declinare peccata, & emendet objurgando fratrem, ut in se possit non perdere Sacerdotem. Cæterum si voluerit dissimulare, silere, celare, & illum tacendo non corrigit, & se non prædicando contemnit. Melius est igitur increpando emendare peccantem, quam silendo peccantis delicta suscipere. In hoc enim positi sumus, ut si delinquentibus non eorum scelera dixerimus, scelerum ipsorum etiam nos reatus involvat. Nam sic utique dicit Dominus per Prophetam: *Et tu fili hominis speculatorem te dedi domui Israbel., & audies ex ore meo verbum, cum dicam peccatori: morte morieris, & non loqueris, ut caveat impius de via sua, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua exquiram*, & reliqua. Evidens plane, & manifesta sententia, quæ speculatorem, cur tacuerit, sanguine polluit criminosi; nec contenta est, quod iniquum sua damnat iniquitas, nisi & illum reum statuat, qui eamdem iniquitatem noluit increpare. Videte ergo, quantum malum sit delinquentis; delinquens ipse peccat, & Sacerdos arguitur. Ipse se delictis suis jugulat,

& de manu Episcopi sanguis exquiritur. Loquendum est igitur, & clamandum, ne silentium nostrum in die judicii idem peccator excuset, & qui nunc dissimulat esse particeps sanctitatis, tunc socium criminetur erroris: *Et tu*, inquit, *fili hominis speculatorem dedi domui Israhel*. Quid est speculator? Speculator utique dicitur, qui velut in quadam sublimi arce consistens; adjacenti populo prospicit, ne quis in eum subito hostis obrepat, sed illo solicite curam agente plebs pacis dulcedine potiatur; qui si aliquid adversi repente conspexerit, mox indicet, constanter adnunciet, ut & civis ad cavendum periculum sit paratus, & hostis fugiat deprehensus. Cæterum si ingruente adversario speculator dissimulaverit, tacuerit, neglexerit, tunc fit ut inopinatus præoccupetur populus, & inimicus superveniens debacchetur, atque ideo omnis culpa ei adscribitur, qui loqui noluit, ut salvaret plurimos, sed tacere maluit, ut periret ipse cum pluribus. Hos ergo Speculatores a Domino constitutos quos esse dicimus, nisi Beatissimos Sacerdotes, qui velut in sublimi quadam arce sapientiæ collocati ad tuitionem populorum supervenientia mala eminus intuentur, & adhuc longe positi contemplantur futura supplicia, non oculi carnalis intuitu, sed prudentiæ spiritalis aspectu. Et ideo tacere non possunt, sed clamare coguntur, ne per silentium gregem Christi Diabolus hostis invadat. Ecce enim prævidemus diem advenire judicii, & peccatorum pœnas jam ipsa cogitatione sentimus. Atque ideo adnunciamus unicuique, ut avertat se a via impietatis suæ, scilicet temulento ut sobrietatem sectetur, quoniam ebrietati comes est inimica luxuria; avaro ut pecunias suas eroget, ne custodiendo eas, non ad utendum, sed ad colendum videatur habere divitias; quisquis enim quod diligit hoc colit, tuetur, & quodammodo veneratur. Unde ergo, avare, ne vascula mensæ tuæ tibi cedant pro Idolio, dum his non uteris ut Dominus, sed ea recondita custodis ut servus?

Ejusdem.

SERMO XXXIX.

De eadem re.

CUm ſemper, Fratres, non ceſſaverim vos paterna pietate corripere, miror nihil vos tot meis commonitionibus profeciſſe, & doleo quod frequens prædicatio mea non vos profectu aliquo ſalutis corrigat, ſed quadam conteſtationis pœna conſtringat. Prædicatio enim Sacerdotis in plebe ſalvandis eſt correctio, conteſtatio judicandis. Conteſtamur enim illis ante judicii diem, quid illos maneat in ipſo judicio, ut tunc omni excuſatione ſummota & rei ſint de peccatis, & obnoxii de contemptu. Unde & ego interdum parcens vobis tacere velim, ſed malo vos contumaciæ cauſas reddere, quam me negligentiæ ſuſtinere judicium. Comperi enim, Fratres, quod per abſtinentiam meam ita rari quique ad Eccleſiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quaſi me proficiſcente mecum pariter veniretis, & quaſi cum a neceſsitatibus ego pertrahor, vos mecum traxerit ipſa neceſsitas. Pariter ergo a Domo Dei abſentes ſumus; ſed hoc intereſt quod me abſentem neceſſitas efficit, vos voluntas. Neſcitis quia etſi ego ab Eccleſia deſum, Chriſtus tamen ab Eccleſia ſua, qui eſt ubique, non deeſt? Venis frater ad Eccleſiam, non invenis ibi Epiſcopum; ſed, ſi fideliter venis, *invenis ibi* Epiſcoporum Epiſcopum Salvatorem. Nam Chriſtianus, qui tunc tantum procedit ad Eccleſiam, quando Epiſcopus præſens eſt, non tam Dei cauſa videtur proceſsiſſe, quam hominis, nec impleſſe Chriſtianæ mentis officium, ſed amici deferentis obſequium. Quid autem ego vos arguo, cum poſsitis me uno ſermone convincere? Convincor enim, cum in hac parte Clericos vobis magis video negleges. Quomodo enim poſſum corrigere filios, cum fratres emendare non poſsim? aut qua fiducia ſucccenſeam Laicis, cum a conſortibus pudoris verecundia con-

conticescam? Ego autem, Fratres, non de omnibus loquor. Sunt certi, quique devoti sunt; & alii negligentes. Ego neminem nomino, conscientia sua unumquemque conveniat.

SERMO XL.

Unde supra.

De eadem re.

AMarior fortasse fuerit, Fratres, prædicatio mea superiore Dominica, quod plerosque de vestris acrius magisteriis, & veritate convenerim, & sim prosecutus, quæ aliquantis blandimenta non deferant, sed tristitiam inrogarent. Verùm nihil mea interest; ego enim gaudeo, sciens discipuli tristitiam magistri esse lætitiam. Tunc enim auditor proficit, quando austeriora adnunciat prædicator; tunc ei salus gignitur, quando tristitia emendationis ingeritur. Dicit enim B. Apostolus: *Nam quæ secundum Deum est tristitia, salutem stabilem operatur*. Recte ergo lætor, quia salutem operor, cum objurgo. Licet mœreat filius mei asperitate sermonis, me tamen delectat, cum proficere illum intelligo per mœrorem. Ait Salomon Sanctus: *Quis est autem filius, quem non verberat pater?* non enim semper pater osculatur filium, sed & aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur; habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum amarius inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quam blanda remissio, unde ait Propheta: *Dulciora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*. Igitur, Fratres, quia post tot increpationis meæ utilia verbera credo vos benignitate sensuum profecisse, de sacris literis aliqua conferamus; sicut enim fons, qui non solito humore destillat, exagitatur surculis, & ita largior invenitur; ac primum ex eo turbida aqua producitur, ut unda purior subsequatur; sic & sanctitas vestra exasperata quidem fuerat austeritate sermonis, sed devo-

devotior facta est dulcedine pietatis. Turbulentum enim quiddam vestri animi forsitan retinebant, sed jam ex vestris moribus profluit omne, quod purum est. Videamus ergo quid sit quod ait ad discipulos suos Dominus: *Vos autem quem me dicitis?* Non igitur tamquam ignarus interrogat Dominus, quid de eo populi, discipulique sentirent; sed tamquam sciens universorum mentes, fidem manifestare voluit singulorum, ut quod corde credebant, ore narrarent. Alii enim Heliam esse credebant Dominum, alii Hieremiam, alii Johannem Baptistam. Petrus solus Christum Dei filium confitetur. Gradus quidam sunt Fidei, & qui devotius credit, religiosius confitetur. Pro hac devotione dicitur Petro: *Beatus es tu Simon Bar Jona, quoniam caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis; & ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cum vocaretur ergo Simon, pro hac devotione nuncupatus est Petrus. Legimus dicente Apostolo de ipso Domino: *Bibebant de spiritali petra; petra autem erat Christus.* Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino Fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici unitatem, ut sicut a Christo Christianus dicitur, ita & a petra Christo Petrus Apostolus vocaretur. Sed nec populorum opinionem possumus reprobare, qui unum de Prophetis Dominum æstimabant. Nam ideo nonnulli velut Heliam Salvatorem forsitan putaverunt, quia ad cœlos Helias, sicut Salvator, ascenderit. Sed non sicut Helias Christus est; ille enim ad Cœlos rapitur, iste regreditur. Ille tamquam infirmus ignea quadriga subvehitur; hic tamquam Deus propria virtute portatur. Ille sicut homo ducitur, hic sicut Salvator ascendit. Ille ducente sequitur Angelo; comitantes sibi Angelos iste præcedit. Denique iidem Angeli remeantes in terram a Domino Salvatore dixerunt ad Apostolos: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cœlum? Hic est Jesus, qui receptus est a vobis. Sic veniet, quemadmodum vidistis euntem eum in cœlo.*

SER-

SERMO XLI.

De unitate Caritatis.

LEgimus in libro, qui Apoſtolorum Actibus adſcribitur &c.
Editus eſt inter Opera S. Maximi.

SERMO XLII.

Ejuſdem.

De eadem re.

REtinet Sanctitas veſtra, Fratres, ante dies cum plebis ejus, quæ ſub Beatiſſimis Apoſtolis &c.
Eſt editus inter Opera S. Maximi.

Tum deſunt paginæ, & ſequitur fragmentum.

. . . . gir, & commendat. Nam pro illa tantum aqua daturum ſe pretium ſpondet, quam ſervulis ejus, qui utique in hoc ſæculo minimi reputantur, manus religioſa porrexerit. Et ipſa fit aqua acceptabilior Deo, quæ credentibus Chriſto pro nominis ejus fuerit honore delata. Ait itaque: *Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine meo.* Multos videmus, Fratres, non tam gratiæ cœleſtis intuitu, quam uſu, & neceſſitate converſationis humanæ ſuis aut familiaribus, aut patronis plurimas opes, & magnifica dona conferre, quæ cum hoc mundo lapſura manifeſtum eſt, quia non Deo in æternum manenti, ſed diſceſſuris hinc continuo mortalibus tribuuntur. Quæcumque enim pro ſæculi ambitionibus impenduntur, cum ſæculo neceſſe eſt dilabantur. At vero Dominus noſter pauperum ſuorum, atque humilium conſolator, non invidioſa auri metalla elargienti, non fulgentium gemmarum inlecebroſa monilia,

nilia, non sericas pretiosasque vestes expetit; sed retributionem etiam pro aqua frigida pollicetur. Aquam frigidam poscit, ut in opus religiosæ misericordiæ omnis possit abundare paupertas. *Quicumque*, inquit, *potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam*. Hæc sententia, Karissimi, in obsequium cœlestium mandatorum & inopes invitat, & incitat locupletes. Nam cui pauperi potest aqua deesse, quam exhibeat sitienti? aut quis fidelium dumtaxat divitum non ambiat potiora largiri, cum videat apud munificentissimum Deum magnis præmiis & parva dotari? In hac quippe communione non quæritur muneris pretium, sed devotio porrigentis, sicut egena illa, ac religiosissima femina, quæ in gazophylacium duo æra minuta mittebat, Dominica sententia cunctis est prælata divitibus. Et recte, Fratres, quia sapientissimus judex non tam operarii quærebat affluentiam, quam operantis affectum, nec intendebat, quantum dives in dona Dei de plenissimis suis proferret ædibus, sed quantus apud mulierem victus, quæ nihil sibi reliquerat, resideret. Divites enim illi sic magna Deo offerebant munera, ne divites esse desinerent; pauper vero mulier tanta fidei magnanimitate Deum sibi prætulit, ut despiciens egestatem suam, totum, quod habebat, offerret. Plus ergo ab omnibus misit, quia minus sibi ab omnibus reservavit. *Qui dederit*, inquit, *calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam*. Quæ igitur sub tanta piissimi Judicis liberalitate sine præmio potest esse paupertas, apud quem & aqua facit oblata mercedem? Abundans quidem est aqua, & ipsa sui inundatione vilissima; at cum obtentu Religionis offertur, facit eam Christi confessio pretiosam. Hinc jam, dilectissimi, vestrum est perpendere, quæ quantaque cœlestium divitiarum referenda sint præmia, cibum aut vestimentum, vel pecuniam largienti, cum otiosum non erit aquæ calicem propinasse. Cavendum sane divitibus, ne hæc eos benignitas Christi ad largiendum faciat pigriores, quia illis specialiter oblatio aquæ præmium gignit, quibus nihil est aliud, quod possint offerre

re pauperibus. Nam quæ hæc religio, quantave devotio est, multa redundare substantia, & exiguo minimoque de opere cœlum velle mercari? Post ista, Karissimi, vi sensum nostrum ad spiritalem intelligentiam derivemus, & aliam reperiemus aquam, quæ delectabili multum gratia corda valeat refrigerare justorum. Quicumque igitur sermonem Sanctorum virorum prædicantium Deum credula aure susceperint, omnia interiora eorum, quæ utique vitam sitiunt audientum, fidei suæ simplicitate rorabunt, sicut ipse Dominus Jesus cum fatigatus super puteum, & sitiens resedisset, qui revera salutem mortalium sitiebat Samaritanæ mulieris, & prodeuntium de civitate turbarum uberrima est credulitate potatus. Nam quamvis ariditatem cordis eorum salutifero Dominus sermone rigaverit, est tamen spiritalis verbi natura hujusmodi, ut si subsequatur effectus, alterno quodam munere, & audientem refrigeret, & loquentem. Et ita fit, ut cum veritatis adsertor Euangelicum seminat germen, si suscipiens illud fidei superinfundat humorem, cœlestium frugum seges copiosissima nutriatur. Unde, Fratres, uterque saluti nostræ proficit, ut & misericordiam promptissime faciamus, & sancta docentibus obedientiam commodemus, quatenus plenam, perfectamque speremus Domino retribuente mercedem.

SERMO LXIX.

De eo quod scriptum est:

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & rel.

CUm omnipotentis Dei Unigenitus, quis quantusve esset, manifestare hominibus vellet, & bonitatis suæ fontem proposuisset aperire mortalibus, sic ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, & nemo novit Filium,*

lium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Hæc, Kariſſimi, alterna Patris, Filiique cognitio unam ſine dubio, atque indiviſam oſtendit eis eſſe ſubſtantiam. Solicitius nunc intendite, Fratres, quæ quantaque ſit apud Dominum, ac Redemptorem noſtrum divinæ virtus naturæ, cœleſtiſque doctrinæ ſapientia, & clementiſſimi ejus pectoris incomprehenſa benignitas. Poſtquam enim a Deo Patre ſuo, ſicut Euangelicus ſermo teſtatur, tradita ſibi univerſa profeſſus eſt, neque &c.

deeſt pagina. ſequitur fragmentum.

. . . . de doloſis ſimplices, de iracundis placidos, humiles de ſuperbis. Reficit ergo, immo reſacit nos Chriſtus, cum aut ſeverioribus monitis committenda prævenit ſcelera, aut indulgentiæ ſuæ munere perpetrata remittit. *Tollite*, ait, *jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Vere mitis eſt Chriſtus, qui ob hoc deſcendit de Cœlo, ut per obprobria injuriaſque ſuas peccantibus ſemper mortalibus indulgentiam largiretur. Et vere eſt humilis, qui ut mori pro mortuis poſſet, carnalem ſibi dignatus eſt conſociare naturam. *Mitis ſum*, inquit, *& humilis corde*. Corde ſe eſſe humilem Dominus profitetur, quia illa vere humilitas ſancta eſt, quæ de religioſæ mentis proficiſcitur puritate, non quæ de vitioſo pectore conſcientia trepidante deſcendit. *Diſcite*, ait, *a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quam bene docet talis magiſter, qui diſcipulis ſuis in ſemetipſo imitanda Doctrinæ ſanctæ proponit exempla. Vos autem, Kariſſimi, non ad humanam fragilitatem, ſed ad illum ſemper intendite, qui quæ faciebat loquebatur, & quæ locutus eſt fecit. *Tollite*, ait, *jugum meum ſuper vos, quia jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Jugum Chriſti, Fratres, omnia Diabolici jugi conligamenta diſſolvit. Jugum Chriſti non inurit colla, ſed ornat. Jugum Chriſti non deprimit capita noſtra, ſed continet. Jugum Chriſti ſulcan-

cante vomere fidei, vitiorum omnium gramina sentesque succidit. Jugum Christi concordibus caritatis vinculis in æternam societatem Deum hominemque conjungit: Quid etiam de onere Dominico prosequar, quod quidem hujusmodi est, ut cervicibus nostris peccatorum omnium pondus avertat? Onus enim Christi pudicitia est, onus Christi humilitas est, onus Christi patientia est, onus Christi contemptus est mundi, & pro confessione nominis ejus beati tormenta Martyrii. Hæc nobis, Fratres, saluberrima vitæ onera Salvator imponit, ne mortiferis mundi hujus ponderibus obruamur. Atque ideo devotioribus studiis capita nostra jugo Euangelico summittamus, subjiciamus & humeros nostros delectabilibus sanctæ conversationis oneribus, quatenus omnipotens nos Deus noster a durissimo Diabolicæ captivitatis jugo, & ab onere miseræ servitutis, ut vere bonus, & ut vere mitis, eruere, & liberare dignetur.

SERMO LXX.

De eo quod scriptum est:

Intrate per angustam portam.

CUm multis magnisque præceptis Dominus, & Salvator noster audientum turbarum corda replesset, ait illis inter cætera: *Intrate per angustam portam*. Quam lata porta, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam; & quam angusta porta, & difficilis via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam! *Intrate*, inquit, *per angustam portam*. Angustum est, Fratres, quicquid adquiri necesse est per laborem. Angusta nostræ Religionis est via, quam gradientibus nobis spinæ hujus Mundi, sentesque concludunt. Sed angustiæ istæ amplitudinem Paradisi, immensaque spatia Regni cœlestis aperiunt. Spatiosa itaque luxuriæ via, & angustum est iter castitatis.

tatis. Lata deliciarum sæcularium porta est, sed angusto nimis fine concluditur. Jejuniorum autem, vel continentiæ arcta quidem via, sed amplissimis egressibus dilatatur. In spatiosis agit iter, qui abundantia divitiarum suarum per ludicra inutilis voluptatis abutitur. Angustum autem vitæ tramitem videtur incedere, qui sibi suam substantiam denegans, in alimonias eam distribuit egenorum. Latum agit iter, qui linguam suam in vaniloquia, & maledica verba dissolvit. Angustas incedit semitas, qui amore Dei os suum ab omni fallacia, & indisciplinato sermone custodit. Latas ingreditur vias, qui repulso timore cœlesti petulantem in feminam defigit aspectum. Angustam graditur viam, qui subripientes in lasciviam oculos suos pudici cordis lege sanctiore compescit, a semetipso religiosi pectoris sui vigore corripit, & emendat, ne aspiciendo turpius incurrat æternam lenocinio suorum luminum cæcitatem. Angustum conficit iter, qui Christi nomine parentum odia, amicorum obprobria, persequentum furorem, verbera etiam, carceres, vincula, acerba facultatum damna, & sæva corporis tormenta perpetitur. Angustum nimirum mundi hujus ingressi sunt iter Beatissimi Christi Martyres, ille, vel ille, quos ob honorem Dei omnipotentis gladius Gentilis occidit; ne Idolis serviendo impiè viverent, elegerunt servantes Deo fidem cum pietate succumbere. Unde necesse est, Fratres, divino repensante judicio, ut eos, qui hic in spatiosis sine fide agunt, futuro in sæculo, loca tristitiæ arcta concludant; eos vero, qui in præsenti vita ob honorem Christi virtutum angusta sectantur, lux beatior, & sedes ampla suscipiat. In qua re exemplo nobis sunt, Euangelio protestante, dives, & pauper. Nam ille dives, qui apud mundum sine misericordia abundantibus nimis conviviis affluebat, in Inferno perpetuo, ut lectum est, crematur incendio. Pauper autem, quem apud sæculum exulceratum corpus escæ penuria, & epulantis divitis inhumanitas affligebat, in Patriarcharum requie, atque omnium Sanctorum consortio delectatur. Et ideo, Karissimi,

fimi, folicite nobis cavendum eft, ne nos ampla hujus fæculi carnalium deliciarum oblectamenta decipiant. Adgrediamur itaque iter anguftum, difficiliores femitas expetamus, fugiamus iniquarum voluptatum impios luxus, ut mereamur in retributione cœlefti delectabile cum pauperibus Chrifti habere confortium.

SERMO LXXI.

De eo quod in Euangelio fcriptum eft:

Vos eftis Sal terræ.

COEleftis prudentiæ Dominus Redemptor hominum Filius Dei, qui fapientiam fæculi ftultitiam reputat, & ftultitiam rurfus mundi fapientiam effe pronunciat, difcipulos fuos fub comparatione falis adloquitur, dicens: *Vos eftis Sal terræ*. Ideft, fapore fermonis veftri terrenorum hominum ftultitia condietur; doctrina enim de cœlo veniens, atque ore Apoftolico prædicata, fuaviffimum præftat mortalibus condimentum. Quidquid revera ftolidorum cordi hominum Diabolus vanitatis injecerit, Apoftolici Salis afperfione purgatur. Nam ficut aquis diffolutæ carnes, nifi falibus contingantur, putredini fubjacent, ac fœtori: ita omnis homo poft fpiritalium aquarum lavacrum, nifi vigorem Apoftolici fermonis acceperit, fæculi mox corruptionibus evanefcit. Ait iterum Apoftolis fuis: *Vos eftis lux mundi*. Quam propriis a Domino Patres noftri comparationibus appellantur, ut fales dicantur, per quos Dei fapientiam difcimus, & lux vocentur, per quos pectoribus noftris tenebrofæ perfidiæ cœcitas fubmovetur! Rectiffime itaque Apoftoli lux nuncupantur, qui inter obfcura fæculi, lumen cœli, & fplendorem æternitatis adnunciant. Numquid non mundo huic, cunctifque mortalibus lux factus eft Petrus, cum Domino diceret: *Tu es Chriftus filius Dei vivi*? Aut quod majus genus hominum lumen

potuit accipere, quam ut per Petrum disceret vivi Dei filium suæ esse lucis auctorem? Et Beatissimus nihilominus Paulus magnum lumen est mundi, qui cum universus orbis impietatum tenebris obcœcaretur, ad cœlum pergens, & rediens æternæ claritatis mysteria revelavit. Et ideo nec latere, sicut civitas fundata super montem, potuit, neque abscondi sub modio, quia eum ut electam lucernam repletam Sancti Spiritus oleo majestatis suæ lumine Christus accenderat. Propter quod, Karissimi, si cordi est, ut deponentes vana mundi, saporem cœlestis sapientiæ requiramus, Apostolico de sale gustemus. Si inluminari sensus nostros radiis supernæ lucis optamus, ad Dominica festini monita concurramus, quia, ut scriptum est: *Præceptum Domini lucidum, inluminans oculos*; & alibi: *quia lux præcepta tua super terram*. Semper ergo, Fratres, expetamus Euangelicum Salem; nulla in cordibus nostris cogitatio stulta prævaleat; intendamus ad lumen verum, ut scelerum tenebras, & noctem perfidiæ declinantes, filii lucis, & diei effici mereamur.

SERMO LXXII.

De eadem re.

CUm Redemptor humani generis Christus Dei Filius ipse perfecta sapientia, & ipse sit lumen verum, discipulos tamen suos sapientiæ, & luminis dignatur adornare præconiis, dicens eis inter cætera: *Vos estis Sal terræ*; & iterum: *Vos estis lumen mundi*. Justissime, Fratres, ministros suos Dominus Sal esse pronunciat, quibus se noverat saporem cœlestis intelligentiæ, ut perfectiora saperent, inspirasse. Et quam congrue veritatis præcones sal terræ esse dicuntur, qui ut homines stultarum superstitionum longa vanitate desipientes mystico sale condirent, plenitudinem sapiendi ab ipso sapientiæ fonte sumpserunt! Vere ergo sal terræ sunt, qui per-

perversa iniquorum studia vigore justitiæ, & prædicatione divinæ voluntatis emendant. Sal terræ sunt, cum per eos putredines carnalium voluptatum, & torpentia luxuriantum pectora mandatorum cœlestium condimentis, & salsi sermonis aspersione curantur. Nam & Beatissimus Paulus in hoc ipsum nos edocet dicens: *Sermo vester sit sale conditus*. Lumen vero mundi sunt, cum caligantis perfidiæ nubilum fulgentis Fidei serenitate discutiunt. Lumen mundi sunt, per quos universus orbis jamdudum mortifera Diaboli obscuritate cœcatus incorrupti Solis inluminatione resplenduit. Lumen mundi sunt, qui purgantes tenebrosum mortalitatis aspectum, ad intuendum promissorum cœlestium claritatem novos credentibus oculos addiderunt. An non videtur nova lumina contulisse mortalibus B. Johannes cum dicit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est*? Numquid non novus videtur coruscasse radius, cum gloriosissimus Petrus ait Domino: *Tu es Christus Filius Dei vivi*? Videtis, Karissimi, quia Johannes locutus est, quod cœlestia nesciebant; & Petrus aperuit, quod humana capere corda non poterant? Hi profecto sunt & Sal, & lumen, quibus adnuntiantibus humanum genus veritatem Dei omnipotentis, & sapere didicit, & videre. Dicendo enim Johannes: *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est*, ostendit hunc, qui carnem suscepit humanam, divinam habere naturam. Nam cum Deus esset apud Deum, & homo factus est, & Deus esse non destitit. Hunc ergo, qui dicitur Verbum, quique factus est caro, ipsum esse Dei Filium Petro confitente cognovimus, cum dicit ad Dominum: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Idest, tu es Christus, qui Verbum factus es caro, & tu es Filius Dei, qui Deus es apud Deum. Hæc, dilectissimi, Beati Petri responsio indefessum lumen est mundi, qua veraciter nos edocti & Christum, & Verbum unum vivi Dei Filium confitemur. Quis enim inter carnem, & Verbum, inter Christum & Filium velut cœcus erra-

 ret,

ret, nisi nobis hæc omnia inluminatus Spiritu Petrus ante vidisset? Denique ait illi Dominus: *Beatus es Simon Bar Jona, quia non caro, & sanguis revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in Cælis*. Non inquit: Caro, & sanguis revelavit tibi, sed *Pater meus, qui est in Cælis*. Non inquit: Caro, & sanguis revelavit tibi. Nec mirum, si mysterium carnis Dominicæ carnalis sensus revelare non potuit, quia qualiter de carne est natus Dei Filius, nec ipsa poterat scire caro, quæ peperit, sed solum revelat hoc Pater, qui mysterii sui Filiique naturæ solus testis est, solus est conscius. Et ideo nulla omnino potest esse cunctatio, hanc vitæ nostræ esse Fidem, quam Pater revelat, & Filius attestatur. *Nemo enim*, ut legitur, *novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*. Igitur quod Pater de Filio noverat per naturam, hoc Petro dedit videre per gratiam. Ob hanc nimirum confessionem audire B. Apostolus Dominico ore promeruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cælorum*. Idest, tu me confessus es primus in terris, ego te in Cœlo Regnoque meo perpetuum faciam habere primatum. Et quid justius, Fratres, quam ut supra eum fundaretur Ecclesia, qui tantum dedit Ecclesiæ fundamentum? Quid fieri potuit sanctius, quam ut ille acciperet claves Cœlorum, qui Cœlestis Regni Dominum revelavit, quatenus qui portas Fidei credentibus patefecit, ipse illis & Cœli januas reseraret? Propter quod, dilectissimi, Euangelico jam Sale conditi, atque Apostolico lumine radiati, caveamus, ne unquam nobis vel vana, vel tenebrosa subripiant; decet enim semper Ecclesiæ Filios justis operibus, & vera Fide inter stulta sapere, & inter obscura fulgere.

SER-

SERMO LXXIII.

De eadem re.

NAturalis doctrinæ Magister, & vere incomparabilis Doctor Omnipotentis Dei Filius, cum vidisset discipulos suos ab omni mundanarum curarum vanitate purgatos, devotissimo secum corde consistere, ait illis, sicut audistis: *Vos estis Sal terræ.* Quid est, Karissimi, sal terræ, nisi terrenorum hominum condimentum? Quid est esse Salem terræ, nisi insipido pectori gustum prudentiæ cœlestis infundere? Vilis est quidem, parvique pretii species salis; sed ille, qui venerat de parvis magna componere, magna revelat in parvis. Numquid hujusmodi magnificentius sale, cujus admirabili suavitate in escam Christi universus saporatus est orbis? Pulcherrime itaque Redemptor noster Apostolos suos comparat sali, qui incolas mundi dudum vitiis, & corruptionibus vanescentes ......

Reliqua desiderantur.

FINIS LIBRI.



ANTIPHONARIUM
Monaſterii
BENCHORENSIS.

IN ANTIPHONARIUM
Monasterii
BENCHORENSIS.

EX Codice MS. Ambrosianæ Bibliothecæ num. 10. Lit. C. descriptum per me fuit hoc Opusculum. Mutilus est Liber non uno in loco; vetustatem autem illius ad Annos pæne mille ascendere conjeci, charactere ad Saxonicum accedente, literisque nonnullis minio distinctis. Celebre autem olim fuit in Ultonia Hiberniæ Provincia Benchorense, sive Banchorense Monasterium diversum ab altero Benchorensi Cœnobio in Wallia Angliæ Provincia sito. Usserius in Britannicar. Ecclesiar. Antiquitatibus Pag. 476. & 531., ad Benchorense Hibernicum Cœnobium refert locum desumtum e Lib. 2. Cap. 2. Hist. Eccles. Bedæ, cujus verba sunt: *Erant autem plurimi eorum de Monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus Monachorum, ut quum in septem portiones esset cum præpositis sibi Rectoribus Monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.* Similia habet Gotselinus Monachus Bertinianus in Vita S. Augustini Cantuar. Episc. At hæc potius spectare ad alterum Cœnobium Benchorense in Angliæ Provincia Wallia positum, præter alios C. V. Mabillonius arbitratur in Notis ad laudatam Vitam S. Augustini scriptam a Gotselino Monacho Bertiniano Tom. I. Act. SS. Ord. S. Benedicti. Et re-

vera animadvertere heic possumus, Benchorensium Monachorum cladem Bedæ memoratam in eo Monasterio contigisse, cui præfuerat *Dinooth Abbas*, de quo tamen nullam mentionem habet Catalogus priorum Benchorensium in Hibernia Abbatum, qui in Antiphonario nostro occurrit. At Usserii sententiam roborat locus e Vita S. Comgalli descriptus, quem ipse adfert Pag. 472. Ita vero scribit ejus Vitæ Auctor. *In diversis Monasteriis & cellis tria millia Monachorum sub cura S. Patris Comgalli fuerunt; sed major & nominatior ceteris prædictum Monasterium Beanchor est &c.* Sanctus itidem Bernardus Clarevallensis Abbas in Vita S. Malachiæ Cap. VI. laudes Hibernici Benchorensis Monasterii persequitur, eique adscribit, quæ Britannico tribuere videtur Beda loco citato.

Ad usum itaque insignis illius Monasterii in Hibernia siti fuit Antiphonarium nunc a nobis evulgatum. E Bobiensis autem Cœnobii Bibliotheca in Ambrosianam transiit Codex cura amplissimi Cardinalis Friderici Borromæi, cui Bibliotheca illa suum ortum debet, Urbs, & Archiepiscopatus Mediolanensis, omnesque Literati plurima æternum debebunt. Neque mirum, quod in Bobiensi Cœnobio monumentum hoc adservaretur. Celeberrimi hujus Monasterii institutor fuit S. Columbanus Abbas, qui ut Jonas Bobiensis Monachus in ejus vita narrat, non alibi Monachorum albo nomen primum dederat, quam in Monasterio, *cujus est Vocabulum Banchor*, illo nempe, quod in Hibernia situm fuisse diximus. Proinde inter Bobienses & Benchorenses Monachos magna in posterum quoque necessitudo intercessit, ac amoris commercium. Et quamquam excogita-

gita-

gitare non possimus, ab ipso S. Columbano delatum in Italiam Antiphonarium istud fuisse, quum ibi quædam habeantur, quæ aliquot dumtaxat post ejus mortem annis contigere; attamen ab ejus discipulis, proximisve Successoribus id factum non immerito opinor.

Quando autem in usu Benchorensium fuerit hocce Antiphonarium, conjicere possumus ex ipsius postremis lineis, ubi *Memoria Abbatum nostrorum exhibetur*. Primus Benchorensis Monasterii Abbas ibi numeratur *S. Comgillus*, qui S. Columbani Magister ac in eruditione Pietatis Pater fuit. Ita de Columbano laudatus Jonas: *Dedit deinde operam, ut Monachorum necteretur societati, & Monasterium, cujus est vocabulum Banchor, petiit, in quo virtutum Præsul ubertate cluebat B. Commogellus, egregius inter suos Monachorum Pater.* Quamobrem S. Comgillus floruit circiter Annum Ch. DLXXX. & adhuc Benchorensi Monasterio præerat, quum S. Columbanus ex Hibernia in Gallias processit, nova Monasteria instituturus: quod paullo ante Annum Ch. DXC. accidisse Mabillonius contendit in Notis ad eamdem S. Columbani Vitam Sec. II. Act. SS. Ord. S. Benedicti. Baleus Centur. I. Cap. 53 Script. Britann. S. Comgilli ætatem nimium anticipat, quum illum Cœnobio Benchorensi præpositum Anno Ch. DXXX. scribit, eique regendum Britannicum, non vero Hibernicum, Benchorense Monasterium tribuit. Usserius ejus mortem figit in An. Ch. DCI. Pag. 494. Antiq. Britannicarum.

Succedunt in Antiphonario Abbates *Beognous*, *Ædeus*, *Simlanus*, *Fintenanus*, *Michlaisreus*, *Seganus*, *Beracnus*, *Cumnenus*, *Columba*, *Aidanus*, *Bautherius*, *Cronanus*, *Camanus*, & *Cronanus*. De postremo hæc ibi leguntur.

Chri-

Christo nunc sedet supremus
Hymnos canens quindecimus
Zoen ut carpat Cronanus,
Conservet eum Dominus.
Quos convocabit Dominus
Cælorum Regni sedibus.

Quæ sane indicare videntur, Cronanum tunc etiam temporis in vivis fuisse, quum ei *Zoe*, idest *vita*, optetur, & dicatur *convocandus* ad Cœlorum Regni Sedes. Attamen quum scriptum ibi sit *quos convocabit*, non vero *quem convocabit*, vehemens oborta mihi dubitatio est, ne *convocabit* idem sit atque *convocavit*; quod in superioribus repetitum videas; & præcipue quum postremus etiam ex his Abbatibus inter Sanctos invocandos enumeretur.

Quod si revera Cronanus Abbas tunc vivebat: tempus, quo Antiphonarium illud concinnatum fuit, aut in usu erat, divinare fortasse liceret. In antiquo Catalogo *Sanctorum Hiberniæ*, quem Usserius publici juris fecit. Pag. 473. laudati Operis, *Cronanus* nescio quis Presbyter Sanctus enumeratur. Tres vero *Cronanos* deinde agnoscit Usserius ipse Pag. 502. Primus An. Ch. 640. vixisse in Hibernia fertur. Secundus An. Ch. 665. mortem obiisse dicitur in Hibernicis Annalibus. Tertius Abbas fuit magnificique Monasterii fundator in Tipperariensi Comitatu. Videndus etiam Bollandus ad diem primam Januarii, ubi refert Vitam S. Mochuæ, sive Cronani, quem facit discipulum S. Comgilli, & Abbatem. Nos in Catalogo Benchorensium Abbatum duos Cronanos reperimus. A vero non abhorret, recentiorem inter eos floruisse circiter An. Ch. 660. quamquam si recte memini, Gabriel Bucelinus in Libro de Sanctis

Viris

Viris Ord. S. Benedicti, quem olim vidi, scribit, Cronanum Benchorensem Abbatem vixisse circiter An. Ch. 636. Quæ tamen ita dicta velim, ut non putem propterea, Codicem ipsum, quo sum usus, ad eam ipsam ætatem esse referendum, quum exemplar in Ambrosiana adservatum, & certe vetustissimum, ex antiquiore tamen Codice describi subinde per Monachos Bobienses, sive Benchorienses potuerit.

Quod est ad reliquos Abbates, eruditis locus erit inquirendi eorum tempus ac memoriam in antiquis Annalibus, atque Hagiologiis, ac potissimum in vastis Bollandistarum Libris, eamque in rem plurimum opis conferent, quæ de Sanctis Hiberniæ viris vaganti, sed magni tamen facienda, eruditione congessit memoratus Usserius in Libro Antiquitatum Britannicarum. Heic interim adnotasse juvabit, priorem Hymnum, qui in hoc Antiphonario occurrit, tribui S. Hilario Pictaviensi Episcopo illis verbis: *Hymnum S. Hilarii de Christo*. Et profecto compertum est inter eruditos, teste S. Hieronymo, Hymnorum Librum a S. Hilario fuisse compositum. Ex iis etiam nonnullos in Ecclesia decantari solitos fuisse tradit Concilium Toletanum IV. Anni 633. At in Hymno nunc a nobis producto majorem fortasse elegantiam desiderabunt nonnulli, ut eum S. Hilario adscribant.

Ad hæc legimus in Antiphonario nostro *Hymnum S. Patricii Magistri Scotorum*. Memini autem, Cl. Virum P. D. Bernardum de Montefaucon, dum olim Mediolani ageret, conspecta Codicis hujus, ac monumenti vetustate, mihi ostendenti fuisse gratulatum. Narrabat quippe, in Galliis esse eruditum quemdam, cui nata suspicio fuerat, non ipsas solum S. Patricii res gestas, sed

eum-

eumdem S. Patricium inter Fabulas Romanenſes eſſe amandandum : tantis nempe anilibus commentis deturpata fuerat Sancti illius Epiſcopi Hiſtoria . At profecto unus hic Hymnus ſatis eſſe poteſt ad confirmandam veritatem cum inſignium Patricii operum, tum celeberrimæ famæ, quæ de S. Viro ad noſtra uſque tempora permanavit. Tu uberiora, etſi non paria antiquitate, ab Uſſerio pete Cap. XVII. Pag. 425. & ſeq. Britannic. Antiquitatum.

In

In nomine DEI summi.

Canticum Moysi.

Audite Cœli, quæ loquor &c.

Hymnum S. Hilarii de Christo.

HYmnum dicat turba
fidelium
Hymnum cantus person.....
Christo Regi concinnentur
Laudes. . . . .
Tu Dei de. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Dextra Patris, mons, &
Agnus,
Angularis tu lapis,
Sponsus idem, vel columba,
Flamma, Pastor, Janua.
In Prophetis inveniris
Nostro natus sæculo
Ante sæcla tu fuisti
Factor primi sæculi.
Factor cœli, terræ factor,
Congregator tu maris,
Omniumque tu creator
Quæ Pater nasci jubet.
Virginis receptus membris,
Gabrielis nuntio
Crescit alvus prole sancta
. . . . . . erius credere.

. . . . visam
. . . .
. . . .
. . . .
Cum jubet parvos necari,
Turbam fecit Martyrum;
Fertur infans occulendus,
Nili flumen quo fluit.
Qui refertur post Herodem
Nutriendus Nazareth.
Multa parvus, multa adultus
Signa fecit cælitus.
Quæ latent, & quæ leguntur
Coram multis testibus,
Prædicans cæleste regnum
Dicta factis adprobat.
Debiles fecit vigere,
Cæcos luce inluminat,
Verbis purgat lepræ morbum,
Mortuos resuscitat.
Vinum, quod deerat Hidriis,
Mutari aquam jubet.
Nuptiis mero retentis
. . . . populo.

. . . .
. . . . bino
. . . .
. . . .
Turba ex omni discumbente
Jugem laudem pertulit,
Duodecim viros probavit,
Per quos vita discitur.
Ex quibus unus invenitur
Christi Judas traditor,
Instruuntur missi ab Anna
Proditoris osculo.
Innocens captus tenetur,
Nec repugnans ducitur,
Sistitur falsis, grassantur
Offerentes Pontio.
Dicerent Christum negandum;
Turbis Sanctus traditur;
Impiis verbis grassantur;
Sputa, flagra sustinet.
Scandere Crucem jubetur
Innocens pro noxiis;
Morte carnis, quam gerebat,
Mortem vicit omnium.
Tum Deum clamore magno
Patrem pendens invocat
. . . . . membra Christi
. . . .
Vela templi scissa pendent;
Nox obscurat sæculum;
Excitantur de sepulchris
Dudum clausa corpora.
Adfuit Joseph Beatus;
Corpus myrra perlitum
Linteo rudi ligatum
Cum dolore condidit.
Milites servare corpus
Anna Princeps præcipit,
Ut videret, si probaret
Christus, quod spoponderat.
Angelum Dei trementes
Veste amictum candida,
Quo candore claritatis
Vellus vicit sericum.
Demovit saxum sepulchro
Surgens Christus integer;
Hæc vidit Judæa mendax,
Hæc negat, cum videret.
F. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Seque a mortuis paterna
Suscitatum dextera
Tertia die rediisse
Nuntiat Apostolis.
Mox videtur a beatis,
Quos probavit, fratribus,
Quod redisset ambigentes,
Intrat januis clausis.
Dat docens præcepta legis,
Dat divinum Spiritum,
Spiritum Dei perfectum,
Trinitatis vinculum.
Præcipit totum per orbem
Baptizari credulos,
Nomen Patris invocantes,
Confitentes Filium.
Mystica Fide revelat
Tinctos Sancto Spiritu,
Fonte tinctos innovatos,
Filios factos Dei.

An-

Ante lucem turba . . . . .
Concinit . . . .
. . . .
. . . .
Galli cantus, galli plausus
Proximum sentit diem
Nos canentes, & precantes
Quæ futura credimus.
Majestatemque inmensam
Concinnemus uniter;
Ante lucem nuntiemus
Christum Regem sæculo.
Ante lucem nuntiemus,
Christum Regem sæculo.
Qui in illum recte credunt
Regnaturi cum eo.
Gloria Patri ingenito,
Gloria unigenito
Simul cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

Hymnum Apostolorum.

PRecamur Patrem
Regem omnipotentem,
Et Jesum Christum,
Sanctum quoque Spiritum.
Alleluja.
Deum in una
Perfectum substantia
Trinum . . . .
. . . .
Universorum
Fontis jubar luminum
Æthereorum,
Et orbi lucentium.

Hic enim dies
Velut primogenitus
Cœli ab arce
Mundi olim micuit.
Sic Verbum caro
Factum a principio
Lumen æternum
Missum Patre sæculo.
Illeque proto
Vires adimens Caho,
Tum improviso
Noctem pepulit mundo.
Ita æterno
Iste hoste subacto
Polum nodoso
Solvit mortis vinculo.
Tenebræ super
Ante erant abyssum,
Quam radiaret
Primus dies dierum.
Hæc quam prodiret
Vera lux mortalia
Contexit alta
Corda ignorantia.
Eodem die
Rubrum, ut ajunt, mare
Post tergum liquit
Liberatus Israhel.
Per hoc docemur.
Mundi acta spernere,
Et in deserto
Virtutum consistere.
Summerso sævo
Cicni canunt æmulo
Certatim Deo
Laudes Duci igneo.
Sicque erepti
Nequam jubemur fretis

Laudare Deum
Explôsis inimicis.
Et ſicut ille
Lucis fuit initium,
Ita & iſti
Salutis exordium.
Loquatur primus
In tenore diei
Secundus vero
In calore Fidei.
In fine mundi
Poſt tanta myſteria
Adeſt Salvator
Cum grandi clementia.
Tamque aperte
Elementa prætendunt,
Quam vatum hora
Lucide concelebrant.
Natus ut homo
Mortali in tegmine
Non deeſt cœlo
Manens in Trinitate.
Vagit in pannis,
Veneratur a Magis,
Fulget in ſtellis,
Adoratur in Cœlis.
Statura vili
Continetur præſepi,
Cujus pugillo
Poteſt orbis concludi.
Primumque ſignum
Portendit diſcipulis
Aquæ converſæ
In ſapore nectaris.
Tum per Prophetam
Completur ut dictum:
Saliet claudus
Ut cervus perniciter.
Planaque fatur
Abſoluto vinculo
Lingua mutorum
Imperante Domino.
Surdi ſanantur,
Cæci, atque leproſi,
Fune retroſo
Suſcitantur mortui.
Totidem panes
Quinque dividit virum
Saturaturis
Procul dubio millibus.
Poſt tantas moles
Divinæ clementiæ
Exoſus ille
Stimulo invidiæ.
Qui invidere
Et odire animam
Pro inimicis
Prorogans . . . . . .
Adverſus eum
Initur conſilium,
Qui magni dictus
Conſilii eſt nuntius.
Accedunt ei
Ut latroni cum gladiis
Furem æternis
Tradituri æſtibus.
Tandem humano
Traditur judicio
Mortali Rege
Damnatur perpetuus.
Cruci confixus
Polum mire concutit,
Lumenque Solis
Tribus obtondit horis.
Saxa rumpuntur,
Velum ſcinditur templi,
Vi-

Vivi consurgant
De sepulchris mortui.
Conrosum nodis
Annos fere millibus
Extricat senis
Inferni feralibus
. . . . . to-plaustum
. . . . . osa soboles,
Abjecta mali morte
Sæva ultrice.
Quemque antiquum
Paradiso incolam
Recursu suo
Clementer restituit.
Exaltans caput
Universi corporis,
In Trinitate
Locavit Ecclesiæ.
In hoc cælitus
Jubet portas Principes
Regi cum sociis
Eternales pandere.
Errantem propriis
Evehens certissimam
Supernis ovem
Humeris ovilibus.
Quem expectamus
Adfuturum Judicem
Justum cuique
Opus suum reddere.
Rogo quam tantis
Talibusque donariis
Vicem condigne
Possumus rependere?
Quid tam mortales
Temptamus micrologi
Narrare, quivit
Quæ nullus edicere?
Solum oramus
Hoc, idemque maximum:
Nostri æterne
Miserere Domine. Alleluja.

Canticum Sancti Zachariæ.

BEnedictus Dominus Deus Israhel &c.

Canticum.

CAntemus Domino, gloriose enim honorificatus &c.

Benedictio trium puerorum.

BEnedicite omnia opera Domini Dominum, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula &c.

Hymnum in Die Dominico.

LAudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem omnis terra veneratur: Tibi omnes Angeli, tibi Cœli, & universæ potestates.
Tibi Cherubin, & Seraphin incessabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cœli, & univerſa terra honore gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus, te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudet exercitus. Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ majeſtatis. Venerandum tuum verum, unigenitum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum. Tu Rex Gloriæ Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es filius. Tu ad liberandum mundum ſuſcepiſti hominem.

Non horruiſti Virginis uterum. Tu devicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna Cœlorum.

Tu ad dexteram Dei ſedens in gloria Patris judex crederis eſſe venturus.

Te ergo quæſumus nobis tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Æterna fac cum Sanctis gloria munerari.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos, & extolle illos uſque in ſæculum.

Per ſingulos dies benedicimus te, & laudamus nomen tuum in æternum, & in ſæculum ſæculi. Amen.

Fiat Domine miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.

Hymnum quando communicarent Sacerdotes.

SAncti venite,
Chriſti Corpus ſumite,
Sanctum bibentes,
Quo redempti, Sanguinem.
Salvati Chriſti
Corpore & Sanguine,
A quo refecti
Laudes dicamus Deo.
Hoc Sacramento
Corporis & Sanguinis,
Omnes exuti
Ab Inferni faucibus.
Dator ſalutis
Chriſtus Filius Dei
Mundum ſalvavit
Per Crucem, & Sanguinem.
Pro univerſis
Immolatus Dominus
Ipſe Sacerdos
Exiſtit, & hoſtia.
Lege præceptum
Immolari hoſtias,
Qua adumbrantur
Divina Myſteria.
Lucis indultor
Et Salvator omnium
Præclaram Sanctis
Largitus eſt gratiam.

Acce-

Accedant omnes
Pura mente creduli,
Sumant æternam
Salutis custodiam.
Sanctorum custos
Rector quoque Dominus
Vitæ perennis
Largitur credentibus.
Cælestem panem
Dat esurientibus
De fonte vivo
Præbet sitientibus.
Alpha & Omega
Ipse Christus Dominus
Venit venturus
Judicare homines.

Hymnum quando Caria benedicitur.

IGnis creator igneus
Lumen donator luminis,
Vitaque vitæ conditor,
Dator salutis, & salus.
Nec noctis hujus gaudia
Vigil lucerna deserat,
Qui hominem non vis mori,
Da nostro lumen pectori.
Ex Ægypto migrantibus
Indulges geminam gratiam,
Nubis velamen exhibes,
Nocturnum lumen porrigis.
Nubis columpna per diem
Venientem plebem protegis,
Ignis columpna ad vesperum
Noctem depellis lumine.
E flamma famulum provocas,
Rubum non spernis spineam,
Et cum sis ignis concremans,
Non uris quod inluminas.
Fusco depasto nubilo
Tempus decoctis sordibus
Fervente Sancto Spiritu
Carnem lucere ceream.
Secretis jam condis favi
Divini mellis alitus
Cordis repurgans intimas
Verbo replesti cellulas.
Examen ut fœtus novi
Ore prælectum, spiritu
Relectum cœlum sarcinis
Quærat securis pinnulis.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Simul cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

Hymnus mediæ noctis.

MEdiæ noctis tempus est,
Prophetica vox admonet,
Dicamus laudes Deo
Patri semper, ac Filio,
Sancto quoque Spiritui;
Perfecta enim Trinitas,
Uniusque substantiæ
Laudāda nobis semper est.

Terrorem tempus hoc habet,
Quocum vastator Angelus
Ægypto mortem intulit,
Delevit primogenita.
Hæc justis hora salus est,
Et quos idem tunc Angelus
Ausus punire non erat
Signum formidans sanguinis.
Ægyptus flebat fortiter
Tantorum diro funere;
Solus gaudebat Israhel
Agni protectus Sanguine.
Nos vero Israhel sumus
Lætamur in te Domine,
Hostem spernentes & malum,
Christi defensi Sanguine.
Ipsum profecto tempus est
Quo voce Euangelica
Venturus Sponsus creditur,
Regni cœlestis conditor.
Occurrunt Sanctæ Virgines
Obviam tunc adventui,
Gestantes claras lampades
Magno lætantes gaudio.
Stultæ vero remanent,
Quæ extinctas habent lampades,
Frustra pulsantes januas
Clausæ jam Regni Regiæ.
Quare vigilemus sobrii
Gestantes mentes splendidas,
Adventui ut Jesu
Digne curramus obviam.
Noctisque medio tempore
Paulus quoque, & Sileas
Christum vincti in carcere
Conlaudantes soluti sunt.
Nobis mundus hic carcer est,
Te laudamus Christe Deus,
Solve vincla peccatorum
In te sancte credentium.
Dignos nos fac Rex agie
Futuri Regni gloriæ
Æternis ut mereamur
Te laudibus concinere.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Simul cum Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

Hymnum in Natale Martyrum, vel Sabbato ad Matutinam.

SAcratissimi Martyres summi Dei
Bellatores fortissimi,
Christi Regis potentissimi
Duces exercitus Dei,
Victores in cęlis
Deo canentes. *Alleluja.*
Excelsissime Christe,
Cęlorum Deus Cherubin,
Cui sedes cum Patre sacra.
Angelorum ibi, & Martyrum
Fulgens chorus,
Tibi sancti proclamant.
Magnifice tu prior
Omnium passus crucem
Qui

Qui devicta morte refulsisti
Mundo, ascendisti ad coelos
Ad dexteram Dei,
Tibi Sancti proclamant.
Armis spiritalibus
Munita mente Apostoli
Sancti te sunt secuti,
Qui cum ipsa crucis
Paterentur morte
Tibi sancti canebant.
Christe Martyrum tu es
Adjutor potens præliantium
Sancta pro tua gloria.
Qui cum victores
Exirent de hoc sæculo,
Tibi sancti canebant.
Illustris tua Domine
Laudanda virtus, quæ per Spiritum
Sanctum firmavit Martyres,
Qui consternerent Zabulum,
Et mortem vincerent,
Tibi sancti canebant.
Manu Dei excelsa
Protecti contra Diabolum
Steterunt firmati,
Semper Trinitati fidem
Toto corde servantes.
Tibi Sancti canebant.
Vere regnantes erant
Tecum Christe Deus,
Qui passionis merito coronas
Habent, & centenario
Fructu repleti gaudent,
Tibi Sancti proclamant.
Christi Dei gratiam
Supplices obsecremus,
Ut in ipsius gloriam
Consummemur, & in sanctam
Hierusalam Civitatem Dei
Trinitati cum Sanctis
Dicamus Alleluja.

Hymnum ad Matutinum in Dominica.

SPiritus divinæ
Lucis gloriæ
Respice in me
Domine.
Deus veritatis
Domine Deus Sabaoth,
Deus Israhel
Respice.
Lumen de lumine
Referemus Filium Patris
Sanctumque Spiritum
In una substantia.
Respice.
Unigenitus, & primogenitus,
A te obtinemus
Redemptionem nostram.
Respice.
Natus es Spiritu Sancto
Ex Maria Virgine
In idipsum in adoptionem
Filiorum, qui tibi
Procreati ex fonte vivunt.
Respice.
Hæredes, & quohæredes

Christi tui, in quem,
Et per quem cuncta creasti,
Quia in prædestinatione
A sæculis nobis est
Deus Jesus, qui nunc cœpit.
Respice.
Unigenito ex mortuis
Deo obtinens corpus,
Claritatem Dei, manens
In sæcula sæculorum
Rex æternorum.
Respice.
Quia nunc cepit, qui semper
Fuit naturæ tuæ Filius,
Divinæ lucis gloriæ tuæ,
Qui est forma, & plenitudo
Divinitatis tuæ frequens.
Respice.
Persona Unigeniti,
Et primogeniti,
Qui est totus a toto
Diximus lux de lumine.
Respice.
Et Deum verum a Deo vero
Semper semper confitemur,
Tribus personis
In una substantia.
Respice in me Domine.

Hymnum Sancti Patritii Magistri Scotorum.

Audite omnes amantes
Deum sancta merita
Viri in Christo beati
Patrici Episcopi
Quomodo bonum ob actum
Similatur Angelis,
Perfectamque propter vitam
Æquatur Apostolis.
Beata Christi custodit
Mandata in omnibus
Cujus opera refulgent
Clara inter homines
Sanctumque cujus sequuntur
Exemplum mirificum,
Unde & in cœlis Patrem
Magnificant Dominum.
Constans in Dei timore
Et fide inmobilis
Super quæ ædificatur,
Ut Petrum Ecclesia
Cujusque Apostolatum
A Deo sortitus est,
In cujus portæ adversum
Inferni non prævalent.
Dominus illum elegit
Ut doceret barbaras
Nationes, & piscaret
Per doctrinæ retia,
Et de sæculo credentes
Traheret ad gratiam
Dominum qui sequerentur
Sedem ad ætheream.
Electa Christi talenta
Vendit Euangelica,
Quæ Hibernas inter gentes
Cum usuris exigit,
Navigiis hujus laboris
Tum operæ pretium

Cum

Cum Christo Regni cœlestis
Possessurus gaudium.
Fidelis Dei minister,
Insignisque nuntius
Apostolicum exemplum,
Formamque præbet bonis,
Qui tam verbis, quam & factis
Plebi prædicat Dei,
Ut quem dictis non convertit
Fructu provocet bono.
Gloriam habet cum Christo,
Honorem in sæculo
Qui ab omnibus, ut Dei
Veneratur Angelus,
Quem Deus misit ut Paullum
Ad Gentes Apostolum,
Ut hominibus ducatum
Præberet Regno Dei.
Humilis Dei ob metum
Spiritu & corpore,
Super quem bonum ob actum
Requiescit Dominus,
Cujusque justa in carne
Christi portat stigmata,
Et cujus sola sustentans
Gloriatur in cruce.
Impiger credentes pascit
Dapibus cœlestibus,
Ne qui videntur cum Christo
In via deficiant,
Quibus erogat ut panes
Verba Euangelica,
Et cujus multiplicantur
Ut manna in manibus
Kastam qui custodit carnem
Ob amorem Domini,
Quam carnem templum paravit
Sanctoque Spiritui,
A quo constanter cum mundis
Possidetur actibus,
Quam & hostiam placentem
Vivam offert Domino.
Lumenque mundi accensum
Ingens Euangelicum,
In candelabro levatum
Toto fulgens sæculo,
Civitas Regis munita
Supra montem posita,
Copia in qua est multa,
Quam Dominus possidet.
Maximus namque in regno
Cœlorum vocabitur,
Qui quod verbis docet sacris,
Factis adimplet bonis,
Bono præcedit exemplo,
Formamque Fidelium
Mundoque in corde habet
Ad Deum fiduciam.
Nomen Dei audenter
Adnuntiat gentibus,
Quibus lavacris salutis
Æternam dat gratiam,
Pro quorum orat delictis
Ad Deum cotidie,
Pro quibus ut Deo dignas
Immolatque hostias.

Omnem

Omnem pro divina lege
Mundi ſpernit gloriam,
Qui cuncta ad cujus menſam
Æſtimat quiſquilia,
Nec ingruenti movetur
Mundi hujus fulmine,
Sed in adverſis lætatur,
Cum pro Chriſto patitur.
Paſtor bonus, & fidelis
Gregis Euangelici,
Quem Deus Dei elegit
Cuſtodire populum,
Suamque paſcere plebem
Divinis dogmatibus.
Pro qua ad Chriſti exemplum
Suam tradit animam.
Quem pro meritis Salvator
Provexit Pontificem,
Ut in cœleſti moneret
Clericos militia,
Cœleſtem quibus annonam
Erogat cum veſtibus,
Quod in divinis impletur,
Sacriſque affatibus.
Regis nuntius invitans
Credentes ad nuptias
Qui ornatur veſtimento
Nuptiali indutus,
Qui cœleſte haurit vinum
In vaſis cœleſtibus,
Propinanſque Dei plebem
Spiritale poculum.
Sacrum invenit theſaurum
Sacro in volumine,
Salvatoriſque in carne
Deitatem pervidet,
Quem theſaurum emit ſanctis,
Perfectiſque meritis,
Iſrahel vocatur hujus
Anima videns Deum.
Teſtis Domini fidelis
In lege Catholica
Cujus verba ſunt divinis
Candida oraculis
Ne humanæ putent carnes
Æſſeque a vermibus,
Sed cœleſti alleantur
Sapore ad victimam.
Verus cultor, & inſignis
Agri Euangelici,
Cujus ſemina videntur
Chriſti Euangelia,
Quæ divino ſerit ore
In aures prudentium,
Quorum quoque corda ac mentes
Sancto arat Spiritu.
Chriſtus illum ſibi elegit
In Terris Vicarium,
Qui de gemino captivos
Liberat ſervitio,
Pleroſque de ſervitute
Quos redemit hominum,
Innumeros de Zabuli
Abſolvit dominio.
Hymnos cum Apocalypſi
Pſalmoſque cantat Dei,
Quoſque ad ædificandum
Dei tractat populum,
Quam legem in Trinitate
Sacri credit nominis,
Tri-

Tribusque personis unam
Docetque substantiam.
Zona Domini præcinctus
Diebus ac noctibus,
Sine intermissione
Deum orat Dominum,
Cujus ingentis laboris
Percepturus præmium
Cum Apostolis regnabit
Sanctus super Israhel.
Patricius Episcopus
Oret pro nobis omnibus,
Ut deleantur protinus
Peccata quæ commisimus.
Patricii laudes
Semper dicamus,
Ut nos cum illo
Semper vivamus.

Hymnum Sancti Comgilli Abbatis nostri.

RE cordemur justitiæ
Nostri patroni fulgide
Comgilli Sancti nomine
Refulgentis in opere:
Adjuti Dei flamine
Sancto claroque lumine,
Trinitatis celsissimæ
Cuncta tenentes regmine,
Quem Deus ad ætherea
Conduxit habitacula,
Ab Angelis custodita,
Permansura in sæcula.
Audite pantes ta erga
Allati ad Angelica
Athletæ Dei abdita
A juventute florida
Aucta in legis pagina,
Alta Sancti per viscera
Apta fide justitia;
Ad Dei ducta gaudia,
Alti adlata merita
Affatim concordantia,
Ab Angelis.
Bonam vitam, justitiam
Benignitatem floridam,
Caritatem firmissimam,
Deo primo adhibitam,
Juxta mandatum solidam
In regno præstantissimam,
Proximis sæpe debitam,
Corde sereno placitam
Efficiebat cognitam
In futuro fructiferam,
Quem Deus.
Contemptum mundialium
Voluptatum, præsentium
Vitiorum firmissimum
Infirmos devastantium
Verborum cogitaminum
Parte læva versantium
Continebat per viscerum
Secreta vigilantium
Ab Angelis.
Doctus in Dei legibus
Divinis dictionibus
Ditatus sanctis opibus
Deo semper placentibus,
Dedicatus in moribus,
Dei Stephanus agius
Docebat sic & cæteros
Dicta docta operibus
Quem Deus.
Elegit a primordio,
Quod erat in principio,
Æter-

Æternum Verbum paterno
Eructatum sanctissimo
Corde verum altissimo
Carus eidem lucido
Pignus præclaro animo
Constans opere placido.
Ab Angelis.
Fulgebat alti fulgore
Solis vice in vertice
Rutilantis meridie
Fidei claritudine,
Confirmatus ex viscere
In Dei semper fidere
Confidens sanctimoniæ
Præcipuo munimine.
Quem Deus.
Gaudium Sancti Spiritus
Habebat in visceribus
Regnum quod est sublimibus
Deo dignum, & fortius.
Gladium quoque Spiritus
Levatum ad nequissimus
Quo prosterneret superbos
Tenens Sanctis in manibus.
Ab Angelis.
Humilis, Sanctus, benignus
Probus in Dei legibus
Humanus, justus, commodus,
Laudabilis in moribus,
Hilaris vultu, sobrius,
Caritatis in floribus,
Decoratus ordinibus,
Factus palam mortalibus
In Scripturis eruditus,
Inspiratus divinitus,
In Sacramentis providus,
Canonicis affatibus
Testamenti præfulgidus,
Fervens spiritu, placidus,
Deo carus, & piissimus.
Ab Angelis.
Kalcavit mundum subdolum
Karitatis per studium
Kastitatis firmissimum
Contempnens omne vitiũ,
Inserens agrum floridum,
Pectus adornans lucidum,
Divinum habitaculum
Trino nomine sancitum.
Quem Deus.
Lampadem sapientiæ
Constituit in pectore
In thesauro sapientiæ
Condito Dei munere,
Inflammatus magnopere
Luce veræ justitiæ,
Exaltatus munimine
Legis, Spiritus, Literæ.
Ab Angelis.
Magnum adprehendit bradium
Æterna vita condignum,
Adeptus Sanctũ præmium
Post laborem firmissimum,
Cujus perfectum meritum
Vocamus in auxilium,
Ut mereamur omnium
Vitiorum excidium.
Quem Deus.
Notus Sanctorum cœtibus
Abbatem in ordinibus
Monachorum militibus
Ana-

Anachoretarum ſenſibus
Synodum Sanctis plebibus
Immo vir Apoſtolicus
Clarus cunctis in fortibus,
Adauctus in ſublimibus
Ab Angelis.
O petram ſolidiſsimam
In fundamento poſitam,
O contemptorem omnium
Rerum nequā præſentium,
O ducem Sanctum militum
Domino militantium,
O Tyronem fortiſsimum
Domino totum deditum.
Quem Deus.
Poſitus muri ferrei
Vice in luce populi
Diſsipare, diſperdere,
Cuncta mala deſtruere,
Ædificare, plantare
Bona tota in commune
More Sancti Hieremiæ
Conſtituti in culmine.
Ab Angelis.
Quis contempſit præſentia
Hujus ævi decidua?
Quis aſcendit ad ſuperna
Toto animo gaudia?
Quis volebat in æthera
Carne volare poſita?
Qualiter iſte talia
Adeptus ſancta merita.
Quem Deus.
Rexit ſanctam Eccleſiam
Catholicam per regulam,
Retinens fidem ſolidam
Malam contra nequitiam,
Suam exercens animam
Sanctæ legis per paginam,
Cujus exopto gratiam
Mihi adornat animam:
Ab Angelis.
Sapiens ſuos internos
Sanctos elevans oculos
Deducebat ad ſuperos
Capite ſancto intentos,
Parte ſancta in dextera
Collocans ſua viſcera,
Centurionis opera
Habens ſancta per ſtudia:
Quem Deus.
Tulit ſuam memoriam
Ad manſionem ſupernam
Caram Deo, & floridam
Suam exercens animam,
Contempnens terram ſubdolam,
Vanam omnem inſaniam
Domans cum Abraham
Ad terram illam optimam.
Ab Angelis.
Vitam æternam fulgida
Adeptus eſt ſub corona,
Ubi adſumet præmia
Permanſura in ſæcula
Comitaturus agmina
Angelorum præcipua
Inquirens ſemper talia
Vigilans in Eccleſia.
Quem Deus.
Chriſtum orabat Magiſtrū,
Summum ornans obſequium,
Chriſti gerens officium
Actum per Apoſtolicum.
Hujus ſequens veſtigium

Du-

Ducens Deo exercitum
In ſanctum habitaculum
Trinitatis lectiſsimum.
Ab Angelis.
Hymnum Deo cum cantico
Immolabat Altiſsimo,
Diei noctis circulo
Orans ſæpe cum triumpho
Nunc cantavit ſub numero
Canticum novum Domino
Junctus choro Angelico
Summo Sanctis in jubilo.
Quem Deus.
Zona cinctus juſtitiæ
Caſtitatis eximiæ
Mundo opertus ſindone
In ſigno caſtimoniæ
Fœminalia lucidæ
Habens toto ex viſcere,
Cujus ſancto pro opere
Reddetur mercis condigne.
Quem Deus ad ætherea
Conduxit habitacula
Ab Angelis cuſtodita
Permanſura in ſæcula.

Per merita, & Orationes S. Comgilli Abbatis noſtri omnes nos Domine in tua pace cuſtodi.

Hymnum Sancti Camelaci.

AUdite bonum exemplum
Benedicti pauperis
Camelaci Cumienſis
Dei juſti famuli.
Exemplum præbet in toto,
Fidelis in opere,
Gratias Deo agens,
Hylaris in omnibus,
Jejunus, & manſuetus;
Kaſtus hic ſervit Deo,
Lætatur in paupertate,
Mitis eſt in omnibus,
Noctibus, atque diebus
Orat Dominum ſuum,
Prudens, juſtus, ac fidelis,
Quem cognati diligunt.
Regem Deum aſpexit,
Salvatoremque ſuum
Tribuit huic æternam
Vitam cum fidelibus.
Chriſtus illum inſinuavit
Patriarchæ Abrahæ.
In Paradiſo regnabit
Cum Sancto Eleazaro.

Collect. ad Secundam.

ESto nobis protector in iſta die, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & miſerator, & miſericors, & auxiliator, & dux *nobis*, & illuminator cordium noſtrorum. Cuſtodi Domine cogitationes, ſermones, opera, ut poſſimus placere in conſpectu tuo Domine, & perficere voluntatem tuam, & ambulare in via recta toto noſtræ vitæ tempore.

Item

Item alia ad Secundam.

TE oramus altissime
Exorto solis lumine
Christo oriens nomine,
Adesto nobis Domine
Qui regnas in sæcula.

Ad Tertiam.

CHristi per horam tertiam
Deprecamur clementiam
Uti nobis perpetuam
Suam tribuat gratiam,
Qui regnas.

Ad Sextam.

TUis parce supplicibus
Sexta hora orantibus
Qua fuisti pro omnibus
Christe in Cruce positus.
Qui regnas.

Ad Nonam.

EXaudi preces omnium
Nona hora orantium,
In qua Christe Cornelium
Visitasti per Angelum.
Qui regnas.

Ad Vesperas.

VEspertino sub tempore
Te invocamus Domine,
Nostris precibus annue,
Nostris peccatis ignosce.

In hora dimidii noctis.

NOctis tempus exegimus
Christe in tuis laudibus,
Miserearis omnibus
Te ex corde precantibus.
Qui regnas.

Ad Nocturnum.

JEsu clementer visita
Nocte orantes media,
Qua divina potentia
Petri solvisti vincula.
Qui regnas.

Ad Matutinum.

DEus subveni omnibus
Te ter sanctum laudantibus
Unumque confitentibus
Sacris hymnorum cantibus.
Qui regnas.

Item ad Matutinum.

GAllorum Christe cantibus
Te deprecor sonantibus
Petri ob quondam fletibus
Nostris intende precibus.
Qui regnas.

Item

Item alia ad Matutinum.

DEus qui pulsis tenebris Diei lucem tribuis, Adventum veri luminis Tuis effunde famulis.

Item ad Secundam.

EXaudi nos Domine supplices tuos, qui in hac hora prima diei referimus tibi gratias Domino Deo nostro, qui nos redemisti tuo Sancto Sanguine, ut preces, ac petitiones nostras vice primitiarum tibi oblatas pie, clementerque suscipias. Qui regnas.

Ad horam Tertiam.

TIbi subnexis precibus Christo Domino supplicamus, qui in hora tertia diei Spiritum Sanctum Apostolis orantibus emisisti, ejusdem gratiæ participationem nobis poscentibus jubeas concedi. Qui regnas.

Ad horam Sextam.

OMnipotens æterne Deus, qui nobis magnalia fecisti, sexta hora sanctam Crucem ascendisti, & tenebras mundi inluminasti, sic & corda nostra inluminare digneris. Qui regnas.

Ad horam Nonam.

NOna agitur diei hora: Ad te Domine directa supplicatione, qua cultoribus tuis divina monstrantur miracula, nostra quoque eorum imitatione corda inlumina. Qui regnas.

Ad Vespertinam.

VEspertina oratio nostra ascendat ad aures divinæ majestatis tuæ, & descendat benedictio tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. Qui regnas.

Ad initium Noctis.

DEus, qui inextricabiles tenebras inluminas noctium, densitatem caliginis inlustras, corda nostra in opere mandatorum tuorum, te oramus Domine, custodias. Qui regnas.

Ad

Ad initium noctis.

EVolutis nunc diei temporibus, nocturnisque spatiis supervenientibus, Dei misericordiam deprecemur, ut suppleti divinis sensibus, tenebrarum operibus renuntiare possimus. Qui regnas.

Ad pacem celebrandam.

INjuste egimus. Redemisti nos Domine Deus veritatis in tuo sancto sanguine, nunc adjuva nos in omnibus Jesu Christe, qui regnas.

PAx multa diligentibus, pax tua Domine Rex cœlestis permaneat semper in visceribus nostris, ut non timeamus a timore nocturno. Qui regnas.

Incipit Symbolum.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem invisibilem, omnium creaturarum visibilium, & invisibilium conditorem.

Credo & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, Deum omnipotentem, conceptum de Spiritu Sancto, natum de Maria Virgine, passum sub Pontio Pylato, qui crucifixus, & sepultus descendit ad Inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in cœlis, seditque ad dexteram Dei Patris omnipotentis exinde venturum judicare vivos, ac mortuos.

Credo & in Spiritum Sanctum Deum omnipotentem unam habentem substantiam cum Patre & Filio. Sanctam esse Ecclesiam Catholicam, abremissa peccatorum, Sanctorum communionem, carnis resurrectionem. Credo vitam post mortem, & vitam æternam in gloria Christi. Hæc omnia credo in Deum. Amen.

Oratio Dominica.

PAter noster &c.

Ad Nocturnum.

PEr horam mediæ noctis tunc gavisi sunt Angeli de nativitate Domini N. J. C. Ita & nos lætari debemus in tua sancta pace omnipotens Deus, qui vivis &c.

Ad Matutinum.

TU es Domine inluminator caliginum, conditorque elementorum, remissor criminum; misericordia tua Domine magna est super eos, qui te toto corde requirunt. Majestas tua Domine mane nos exaudiat, & deleat delicta nostra, quæ tibi non sunt abdita. Qui regnas &c.

Item ad Matutinum.

TU es spes, & salus. Tu es vita, & virtus. Tu es adjutor in tribulationibus. Tu es defensor animarum nostrarum, Deus Israhel in omnibus. Qui regnas &c.

Oratio communis Fratrum.

NE memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos Deus salutaris noster propter gloriam nominis tui. Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Respice in testamentum Domine. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Festina Domine liberare nos ex omnibus peccatis nostris.

Pro Baptizatis.

SAlvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle Domine illos usque in sæculum. Miserere Ecclesiæ tuæ Catholicæ, quam in tuo sanguine redemisti. Qui regnas.

Exurge Domine in requiem tuam. Tu es arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui &c. Qui &c.

Lætentur in te Domine omnes Sancti tui, qui sperant in te in omni veritate.

Pro Abbate.

DOminus conservet eũ, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra. Dominus custodit te ab

omni

omni malo, custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Custodi nos Domine ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

Protegere, & sanctificare digneris omnibus omnipotens. Qui regnas &c.

Pro Fraternitate.

TU Domine servabis nos, & custodies nos a generatione hac in æternum.

Exaudi orationes nostras pro Fratribus nostris, ut illis Deus miserearis.

Pro pace populorum, & Regum.

DOminus virtutem populo suo dabit. Dominus benedicet populo suo in pace.

Pacem præstare digneris omnibus omnipotens Deus. Qui regnas &c.

In Blasphemantibus.

DOmine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Domine Deus virtutum ne statuas illis hoc in peccatum.

Pro Impiis.

JUdica illos Deus, decedant a cogitationibus suis; usque irritaverunt te Domine.

Confundantur illi, qui confidunt in se, & non nos Domine, qui confidimus in te.

Pro iter facientibus.

O Domine salvum fac, o Domine bene prosperare. Prosperitatem itineris præsta famulis tuis. Qui &c.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui confiteantur tibi.

Tibi gratias agunt animæ nostræ pro innumeris beneficiis tuis. Qui regnas &c.

Pro Eleemosynariis.

DIspersit, dedit pauperibus. Justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

Eleemosynas facientibus in hoc mundo retribue Domine in regno tuo Sancto.

Pro infirmis.

EXclamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberabit eos.

Tribue Domine tuis famulis sanitatem mentis, & corporis.

Exurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Adjutorium nostrum in nomine Domini.

Salvare nos digneris per invocationem Sancti tui nominis. Qui regnas &c.

Deus qui sanctis Martyribus, & electis tuis coronam Martyrii præstitisti, te oramus Domine, ut eorum meritis obtineamus veniam, qui tantam gloriam non meremur. Qui regnas &c.

Ad te Domine clamabo. Deus meus ne sileas a me.

Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

Adjutor noster Deus Jacob miserere nobis Domine. Qui regnas &c.

Ad collectas.

SAnctus in sanctis, Agnus immaculatus, gloriosus in Cœlis, mirabilis in terris, præsta nobis Domine secundum magnam misericordiam tuam Deus, quæ te petimus, & oramus. Qui regnas.

Ad Martyres.

ÆTernum virtutis tuæ nomen omnipotens Deus oramus, uti nos Martyrum, & omnium Sanctorum tuorum meritis socios fide pares, devotione strenuos, passione consimiles in resurrectione felicium facias coæquari. Qui regnas &c.

Miserere mei Deus secundum magnam &c.

Tribue Domine petentibus te ex fide secundum magnam misericordiã tuam Deus, qui regnas &c.

Ad Nocturnum.

MEdia nocte clamore facto, ut nos inveniamur parati sponso, qui regnas &c.

Ad Matutinum

DEus Deus noster ad te de luce vigilare debemus, & tu excita de gravi somno, & libera de sopore animas nostras, & in cubilibus nostris compungamur, ut tui esse memores mereamur. Qui regnas &c.

Tu es spes & salus. Tu es vita, & virtus. Tu es adjutor in tribulationibus. Tu es defensor animarum nostrarum Deus Israhel in omnibus. Qui regnas &c.

Ad Matutinum.

O Qui in altis habitas, & humilia respicis in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, de profundo cordis te deprecamur, ut firmes manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum, quo possumus in matutino interficere omnes peccatores terræ nostræ ac nos indesſce mereamur & templum sanctum tuum Christe. Qui regnas &c.

Ad Martyres.

DEus, qui Sanctos tuos cum mensura approbas, & sine mensura glorificas, cujus præcepta finem habent, & præmia terminum non habent, exaudi per illorum merita preces nostras, & tribue, ut eorum patrocinia adjuvent nos ad Fidei profectum, ad bonorum operum fructum, ad prosperitatis bonum, ad salubritatis commodum, ad Religionis cultum, ad divini timoris augmentum per Dominum N. J. C. Filium tuum, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, & gloria futurorum, regnans, & permanens una cum æterno Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

Collectio post Canticum.

DEus, qui exeunti ex Ægypto populo tuo maria divisisti, & suspensis utrinque marginibus in specie muri erigi fluenta jussisti, animas quoque nostras a di-

a diluvio peccatorum liberare digneris, ut tranſire vitiorum gurgitem valeamus hoſte contempto, Salvator Mundi, qui cum æterno Patre vivis, dominaris ac regnas cum Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum.

Collectio poſt benedictionem puerorum.

EXaudi preces noſtras, omnipotens Deus, & præſta, ut ſicut in decantato Hymno beata puerorum inſtituta ſectamur, ita tuo munere peccatorum laqueis abſoluti æterni ignis non ambiamur incendiis, Salvator Mundi, qui cum Patre vivis &c.

Collectio poſt tres Pſalmos.

TE Domine de Cœlis laudamus, tibi ut canticum novum cantare meramur. Te Dominum in ſanctis tuis venerabiliter deprecamur, ut omnia noſtra vota ſuſcipias, peccata dimittas Salvator Mundi. Qui regnas &c.

Collectio poſt Euangelium.

EXultantes gaudio pro reddita nobis hujus diei luce omnipotenti Deo laudes gratiaſque referamus, ipſius miſericordiam obſecrantes, ut diem Dominicæ Reſurrectionis nobis ſolemniter celebrantibus, pacem, & tranquillitatem, lætitiam præſtare dignetur, ut a vigilia matutina uſque ad noctem clementiæ ſuæ favore protecti, exultantes lætitia perpetua gaudeamus per Dominum N. J. C. &c.

Super Hymnum.

SAncte Domine, inluminatio, & ſalus vera credentibus, Reſurrectio Dominicæ claritatis, inlumina cor noſtrum, ut Trinitatis ſcientia, & Unitatis cognitione, *filii lucis*, & membra Chriſti, ac templum Sancti Spiritus eſſe mereamur, qui regnas in ſæcula ſæculorum.

De Martyribus.

HI ſunt Domine, qui felici cruore perfuſi, dum

dum blandientem mundi hujus inlecebram gloriosa passione despiciunt, mortem morte vicerunt, considerantesque tenebras hujus lucis certo termino, ac fine ruituras, sumpserunt de pœna vitam, & de morte victoriam. Rogamus te Christe, ut eorum precibus adjuvari mereamur, quorum consortes esse non possumus per te Christe, qui cum Patre vivis, dominaris, & regnas.

Super Cantemus Domino gloriam.

DEus, qui cotidie populum tuum jugo Ægyptiæ servitutis absolvis, & per fluenta spiritalis lavacri in terram repromissionis devicto hoste transducis. Da nobis de vitiorum impugnatione victoriam, & devictis tenebris nostris deducas hęreditatem in Sanctuario, quod præparaverunt manus tuæ, Salvator mundi, qui cum æterno &c.

Super benedictionem trium puerorum.

SAncte Domine, & gloriose mirabilium virtutum effector, qui tribus pueris inter supplicia constitutis adsistis, cui factum facile est ignium temperare naturam, & vim quodammodo exustantium coercere flammarum, ut inter incendia frigida hymnum tibi canentes cum magna victoria exultarent, eamdem nunc Domine ad liberandos, ac protegendos nos dona virtutem Salvator Mundi.

Super Laudate Dominum de Cœlis.

QUem cuncta canite elementa Dominum laudent. Cujus confessio sacra eadem in Cęlo, & Terra, & pignora Sion novum tonanti dicite hymnum, facturi judicium nefandiis in fine conscriptum, perstrepite diversis spiritales melodiæ modis, ut Christum conlaudent spiritus per sæcla omnes, qui cum Patre vivit.

Super Canticum.

DEus, qui impiam Ægyptum dienniis corruptionibus multas, & diviso mare planum iter populo præstas, preces exaudi quæsumus nostras, & nos nostris taliter hostibus salva Salvator Mundi. Qui regnas &c.

Post benedictionem trium puerorum.

DEus, qui pueris fide ferventibus fornacis flammam frigidam facis, & tribus invictis morte devicta quartus adsistis, precamur nobis æstibus carnis talem virtutem præstes adustis per te Jesu Christe, qui regnas &c.

Post Laudate Dominum de Cœlis.

DEus noster, Deus omnium animarum, te adoramus, ut in hac vigilia solempnitatis ad missa pervenire præstes, quo usque tenebræ iniquitatis nostræ convertantur in lumine, sicut Sol in meridie splendescit, Salvator Mundi, qui regnas &c.

Post Euangelium:

DOminicam, nostræ Resurrectionis initium, venerantes, Trinitati Deo nostro debitas laudes, & grates unito referamus affectu, obsecrantes misericordiam ejus, ut nobis Domini, & Salvatoris nostri beatæ Resurrectionis participium tam in Spiritu, quam etiam in corpore concedat, qui cum Patre vivit &c.

Post Hymnum.

REspice Domine ad preces nostras, qui infirmitates visitasti humanas, & tuam nobis sanctificationem largire, & immortalitatem Christe, qui regnas &c.

Item post Canticum.

SUmmerso *in mari* Pharaone liberatur Israhel. Nos quoque per Baptismi gratiam, & Crucis triumphum ab omni malo quæsumus liberari per te Christe &c.

Item

Item post Benedicite.

DEus, qui tres pueros de fornace eripuisti, sic nos eripias de suppliciis inferni, qui regnas in sæcula.

Post Laudate Dominum de Cœlis.

TE laudamus Domine cum Sanctis tuis, ut preces nostras suscipere digneris, qui regnas &c.

Post Evangelium.

REsurgentem in hoc diluculo Dominum deprecamur, ut & nos in vitam æternam resurgamus per omnia sæcula sæculorum.

Post Hymnum.

REsurrectionem tuam Christe veneramur, per quam in æternum salvari mereamur per omnia sæcula.

Christe Deus, qui in salutem populi tui Israhel adjutor, & protector fuisti, quem per siccum mare ab Ægypto duxisti, salva nos hoc modo ab jugo peccati. Qui regnas in sæcula.

Post Hymnum trium Puerorum.

TE enim omnipotens Deus benedicimus jure, qui tres pueros liberasti ab igne, nos quoque de supplicio mortis æternę propter misericordiam tuam eripe, qui regnas &c.

Post Laudate Dominum de Cœlis.

DEus altissime Rex, Angelorum Deus, laus omnium elementorum, Deus gloriæ, & exultatio Sanctorum, custodi animas servorum tuorum, qui regnas in sæcula.

Post Evangelium.

CAnticis spiritalibus delectatim nos Christe consonantes canimus tibi, quibus tua majestas possit placari oblata laudis hostia spiritali, qui tecum vivit &c.

Item

Item post Euangelium.

DIluculo lucis auctore resurgente exultemus in Domino devicta morte, quo peccata possimus semper obire, vitæque ambulemus in novitate, qui tecum vivit &c.

Post Hymnum.

LUx orta est in luce prima, exordio dierum antiquo facta, Unigenitus tuus Domine, qui nostra abluere venit per Crucem peccata, qui tecum vivit &c.

De Martyribus.

TRiumphalium memores Martyrum tuorum, qui pro te toleravere vexilla passionum, precamur, ut per sancta merita ipsorum nostrorum veniam mereamur peccatorum. Qui regnas &c.

Post Cantemus.

PLebs Israhel in figuram nostri liberatur in transitu maris. Nos ergo per gratiam Baptismi libera tu ab exitiis mundi. Qui regnas &c.

Post Benedicite

UT tres pueros in flamma salvasti descensu in fornacem cœlestis nuntii, sic nos per Angelum magni consilii liberare digneris ab igne Inferni. Qui regnas.

Post Laudate Dominum de Cælis.

DEus, quem exercitus canit cœlorum, quemque Ecclesia laudat Sanctorum, quem hymnizat spiritus universorum, miserere obsecro omnium nostrorum, qui regnas &c.

Super Cantemus.

CAntemus tibi Domine exercituum Christe, orantes, ut *quemadmodum* exemisti dilectum populum tuum captivitatis acerrimæ jugo, iter demonstrante eis nubis columpna per diem, eadem ignis quoque per noctem. Finditur ergo mare dextera, lævaque in abruptum; digestis aggeribus stupens unda solidatur; tuus po-

populus navigat plantis. Mira res! iter ejus nec eques potest sequi, nec ratis. Maria tympanum quatit, hymnus iste canitur, grex peculius tuetur. Ita & nos ab insectatione veteris inimici, & ab omni periculo mundi liberare digneris Salvator mundi, qui cum æterno Patre vivis, dominaris, ac regnas una cum æterno Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

Super benedictionem trium puerorum.

TRes Hebrei venerabiles numero, Sacramento muniti, ætate teneri, sed Fidei soliditate robusti, amore divinæ religionis Regis adorare imaginem contempserunt, utpote qui ipsum contempserant Regem, qui ira sufflatus solito septies amplius caminum jussit incendi, ac pice, & stuppa armatum citari incendium æstuantibus globis. Erubescit quoque ipsum alienis ignibus cœlum. Illo præcipitantur insontes, ibidemque te, propter quem præcipitantur, inveniunt Christe. Taliter & nos ex Tyranni intellectualis furore, & ab ingenito igni digneris liberare, Salvator mundi, qui cum æterno Patre vivis &c.

Post Laudate Dominum de Cœlis.

LAudent te Domine Angeli, Virtutes, Sydera, Potestates, & quæ ortum suum tibi debent officio tuæ laudationis exultent, ut per universitatis armoniam tibimet concinnentem fiat, ut in Cœlo, ita & in terra voluntas tua. Sit tibi precamur Domine beneplacitum in populo tuo, ut per exaltationes tuas in ejus faucibus collocatas maneat in singulis & verbi tui armatura, qua doceas, & vitæ nostræ veritas, qua semper adspicias, & salus, qua mansuetos exaltes, quia secundum multitudinem magnitudinis tuæ te laudamus Domine gratia laudationis ostensæ immolatione per Psalterium, mortificatione per tympanum, congregatione per chorum, exultatione per organum, jubilatione per cymbalum, ut semper misericordiam tuam habere mereamur Christe

Sal-

Salvator mundi, qui cum æterno Patre vivis &c.

Super Cantemus Domino.

DOmine, qui Cinchrim fugientes tueris bis senas per invisa tribus æmulum itinera, prius fluctibus in binis montium utrimque redactis celsorum, ceu jugis abrupte arentibus talis æquore murum quasi & de petra lymphas producens; mergatur ergo ut olim piorum supplicium hostis æterni quæsumus statores currum, quod est cujus affatus, actusque cum cogitatu celeri nequam sit Pharaoni Rex Israhelem verum, quæ unda salvat, ut Christo carmina canat, per sæcla, qui cum Patre vivit.

Versiculi familiæ Benchuir.

BEnchuir bona regula,
Recta, atque divina;
Stricta, sancta, sedula,
Summa justa, ac mira.
Munther Benchuir beata
Fide fundata certa,
Spe salutis ornata,
Caritate perfecta.
Navis numquam turbata,
Quamvis fluctibus tonsa,
Nuptiis quæque parata
Regi Domino sponsa.
Domus deliciis plena
Super petram constructa,
Nec non vinea vera
Ex Ægypto transducta.
Certe civitas firma,
Fortis, atque munita,
Gloriosa, ac digna,
Supra montem posita.
Arca Cherubin tecta
Omni parte aurata,
Sacrosanctis referta
Viris quatuor portata.
Christo Regina apta
Solis luce amicta,
Simplex, simulque docta,
Undecumque invicta.
Vere regalis aula,
Variis gemmis ornata,
Gregisque Christi caula,
Patre summo servata.
Virgo valde fœcunda,
Hæc & Mater intacta,
Læta, ac tremebunda,
Verbo Dei subacta.
Cui vita beata
Cum perfectis futura,
Deo Patre parata,
Sine fide mansura.
Benchuir bona regula.

Collectio super hominem, qui habet Diabolum.

DOmine sancte Pater omnipotens ęterne Deus expelle Diabolum, & genti-

tilitatem ab homine isto de capite, de capillis, de cerebro &c.

Oratio de Martyribus.

DEus, qui Martyribus tuis largitus es regnum, nobis autem peccatoribus veniam præstare digneris. Hi coronam suam passione per Fidem meruerunt; nos vero pro iniquitatibus, & prævaricationibus nostris remissionem a te, & misericordiam postulamus per te Jesu Christe.

Incipit Antiphona in Natale Domini super: Domine refugium ad Secundam.

AB hodierno die nox minuitur, dies crescit, concutiuntur tenebræ, lumen augetur, & in lucro lucis nocturnæ dispendia transferentur.

Incipiunt Antiphonæ super Cantemus, & Benedicite.

EDucti ex Ægypto Patres nostri & pertransierunt, pedibus rubrum mare, dixeruntque laudem Domino nostro.

Tres pueri in camino missi sunt, & non timuerunt flammam ignis, dixeruntque laudem Domino nostro.

Filii Hebræorum penetraverunt, Israhelitæ plebes transierunt per siccum mare, laudemque dixerunt.

Tres pueri te orabant de medio ignis, ad te clamabant ex una voce, hymnumque dicebant.

Gloriosus in Sanctis, mirabilis in majestatibus, faciens prodigia.

Benedicamus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dominum.

Dextram, lævamq; Moyses aspexit viam regalem, * polum eduxit, ad littus maris usque perduxit.

* fort. populum.

Fornacis flammas pueri contempserunt, Christo jugiter immolaverunt, viam iniquam dereliquerunt.

Super Laudate Dominum de Cœlis.

DE cœlis Dominum laudate, psalterium jocundum immolate, laudate eum in sono tubæ.

Pharao demersus est in Rubrum mare. Moyses pertran-

tranſit in ſicco pede maria, dixit Deo cantate.

De Martyribus.

POſt ignes & laminas, cruces, atque beſtias Sancti cum magno triumpho vehuntur in regno, & in refrigerio.

In invocatione Sanctorum Martyrum miſerere Deus ſupplicum tuorum.

Super: Domine refugium in Dominicorum die.

COnvertere Domine uſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.

Item alia.

REſpice in ſervos tuos, & in opera tua Domine

Item alia.

Repleti ſumus mane miſericordia tua.

Alia cotidiana.

SIt ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos.

Ad communicare.

COrpus Domini accepimus, & Sanguine ejus potati ſumus, ab omni malo non timebimus, quia Dominus nobiſcum eſt.

Item alia.

IN labiis meis meditabor hymnum Alleluja; cum docueris me, ego juſtitias reſpondebo. Alleluja.

Item alia.

GUſtate, & videte Alleluja, quam ſuavis eſt Dominus, Alleluja.

Alia.

HOc ſacrum corpus Domini, & Salvatoris ſanguinem ſumite vobis in vitam perennem. Alleluja.

Item alia.

QUam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.

Item alia.

HIc eſt panis vivus, qui de Cœlo deſcendit. Alle-

Alleluja. Qui manducat ex eo, vivet in æternum. Alleluja.

Item alia.

Refecti Christi corpore, & Sanguine tibi semper Domine dicamus. Alleluja.

Ad Vesperum, & ad Matutinam.

Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax &c.

Memoria Abbatum nostrorum.

Sancta Sanctorum opera
Patrum, Fratres, fortissima
Benchorensi in optima
Fundatorum Ecclesia,
Abbatum eminentia
Numerum, tempora, nomina
Sine fine fulgentia,
Audite magna merita,
Quos convocavit Dominus
Cœlorum Regni sedibus.
Amavit Christus Comgillum
Bene & ipse Dominum,
Carum habuit Beognoum,
Domnum ornavit Ædeum,
Elegit Sanctum Simlanum
Famosum mundi Magistrum,
Quos convocavit Dominus
Cœlorum Regni sedibus.
Gratum fecit Fintenanum,
Heredem, almum, inclytum,
Illustravit Machlaisreum;
Kaput Abbatum omnium,
Lampade sacra Seganum
Magnum Scripturæ medicum.
Quos &c.
Notus vir erat Beracnus,
Ornatus & Cumnenus,
Pastor Columba congruus,
Querela absque Aidanus,
Rector bonus Bautherius,
Summus Antistes Cronanus.
Quos &c.
Tantis successit Camanus
Vir admirabilis omnibus.
Christo nunc sedet supremus
Hymnos canens quindecimus,
Zoen ut carpat Cronanus,
Conservet cum Dominus.
Quos convocabit Dominus
Cœlorum Regni sedibus.
Horum Sanctorum merita
Abbatum fidelissima
Erga Comgillum congrua
Invocamus altissima,
Uti possimus omnia
Nostra delere crimina
Per Jesum Christum æterna
Regnantem in sæcula.